

PSALMI DAVIDIS.

EX INTERPRETATIONE

TREMELLII ET JUNII

IMPRESSA HANNOVLÆ A. D. 1624

TYPIS WECHELIANIS.

BEROLINI:

SUMPTIBUS SOCIETATIS BIBLIOPHILO-
RUM
BRITANNICÆ ET EXTERNÆ.

MDCCCCIX.

LIBER PSALMORUM.

LIBER PRIMUS.

I.

- 1 BEATUS *est* vir ille, qui non ambulat in consilio improborum, et viæ peccatorum non insistit, ac in consessu derisorum non desidet:
- 2 Sed cujus oblectatio *est* in lege Jehovæ, et *qui* de lege illius meditatur interdiu ac noctu.
- 3 Est enim sicut arbor plantata ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, et cujus folium non decidit; ideo quicquid faciet, prosperabitur.
- 4 Non ita improbi *sunt*; sed sicut gluma, quam dispellit ventus.
- 5 Idcirco non exsurgent improbi in illo iudicio, aut peccatores in cœtu justorum.
- 6 Nam agnoscit Jehova viam justorum: at via improborum peritura est.

II.

- 1 QUARE tumultuantur gentes, et nationes meditantur inane?
- 2 Sistunt se reges terræ, et procures consultant simul, contra Jehovam et contra Christum ejus:
- 3 *Dicentes*, Disrumpamus lora istorum, et projiciamus a nobis densos funes istorum!
- 4 Sedens in cœlis ridet; Dominus subsannat eos.
- 5 Tunc alloquetur eos in ira sua, et in æstu iræ suæ perturbabit eos.

- 6 *Dicet*, Atqui ego inungens regem meum præfeci Zioni, monti sanctitatis meæ.
- 7 Decretum enarraturus sum: Jehova dixit mihi, Filius meus es, ego hodie genui te.
- 8 Pete a me, et donabo gentes in possessionem tuam, et fines terræ jus possessionis tuæ.
- 9 Confringes istos virga ferrea; ut vas figlinum dissipabis eos.
- 10 Nunc ergo, reges, animadvertite; eruditionem percipite, o iudices terræ.
- 11 Colite Jehovam cum reverentia, et exultate cum tremore.
- 12 Osculamini filium, ut non irascatur, et pereatis *in* via, quum exarserit vel minimum ira ejus: beati omnes, qui se recipiunt ad eum.

III.

Psalmus Davidis, *quem cecinit*, quum fugeret metu Absalomi filii sui.

- 2 JEHOVA, quam multi sunt hostes mei! *quam* multi insurgunt contra me!
- 3 *Quam* multi dicunt de anima mea, Non *est* ulla salus isti in Deo plane!
- 4 At tu, Jehova, clypeus *es* circa me, gloria mea, et extollens caput meum.
- 5 Voce mea ad Jehovam clamanti respondit mihi e monte sanctitatis suæ maxime.
- 6 Ego cubui, et dormivi, expergefeci me; quia Jehova sustentat me.
- 7 Non timebo a myriadibus populi, quas circumdisposuerint *metatores* contra me.
- 8 Surge, Jehova; fac salvum me, Deus mi, qui percussisti omnes inimicos meos maxillam, dentes improborum confregisti.

- 9 Jehovæ *est* salus; super populum tuum *sit* benedictio tua maxime.

IV.

Magistro symphonie fidium psalmus Davidis.

- 2 INVOCANTEM me exaudi, Deus justitiæ meæ, in angusto dilatasti mihi *locum*: gratiosus esto mihi, et audi orationem meam.
- 3 Filii virorum, quousque gloria mea ignominie *futura est?* dilecturi estis inanitatem? procuraturi mendacium summe?
- 4 At agnoscite separatim asseruisse Jehovam sibi eum, quem benigne accipit; Jehovam exauditurum, quum inclamavero ipsum.
- 5 Commovemini, et ne peccetis: cogitate cum animo vestro in cubili vestro, et quiescite, *ut qui* maxime.
- 6 Sacrificate sacrificia justitiæ: et fiduciam habete in Jehova.
- 7 Multi dicunt, O *si* quis efficiat, ut fruamur bono! Attolle super nos lucem faciei tuæ, Jehova,
- 8 Indideris lætitiā animo meo; majorem quam temporis, *quo* frumentum istorum et mustum istorum percipiuntur *ab ipsis* copiose.
- 9 In pace simul cubabo et dormiam: quum tu, Jehova, solus facias, ut secure habitem.

V.

Magistro symphonie ad pneumatica instrumenta
psalmus Davidis.

- 2 DICTA mea auribus percipe, Jehova; considera meditationem meam:
- 3 Attende voci clamoris mei, rex mi et Deus mi; nam apud te orationem habeo.

- 4 Jehova, mane auditurus es vocem meam: mane disserturus sum coram te et speculaturus.
- 5 Nam non es Deus fortis, qui delectetur improbitate; non est commoraturum *apud* te malum.
- 6 Non consistunt insani e regione oculorum tuorum: odisti omnes, qui operam dant iniquitati.
- 7 Perditurus es loquentes mendacium; virum sanguinarium et dolosum abominatur Jehova.
- 8 Ego autem instructus amplitudine benignitatis tuæ ingrediar domum tuam: incurvabo me versus templum sanctitatis tuæ cum reverentia tui.
- 9 Jehova, deduc me in justitia tua propter observatores meos: complana coram me viam tuam.
- 10 Nam non *est* in ore illius rectum; intimum illorum ærumnæ; sepulchrum apertum guttur illorum; lingua sua dolose blandiuntur.
- 11 Reos fac istos, o Deus; decidant de consiliis suis: amplitudine defectionum istorum depelle istos, quia rebellant in te.
- 12 Et lætabuntur omnes se recipientes ad te; in seculum canent, quos protecturus es: et exsultabunt in te amantes nominis tui.
- 13 Quia tu benedicis justo, Jehova: facis, ut benevolentia tanquam umbo circumtegat eum.

VI.

Magistro symphonie fidium ad gravem *symphoniam*
psalmus Davidis.

- 2 JEHOVA, ne in ira tua reprehendas me, neque in excandescencia tua castiges me.
- 3 Gratosus esto mihi, Jehova, quia languefactus sum: cura me, Jehova, quia conturbata sunt ossa mea.
- 4 Et anima mea conturbata est valde: tu ergo, Jehova, quousque?

- 5 Revertere, Jehova; expedi animam meam: sal-
vum fac me propter benignitatem tuam.
- 6 Nam non *est* in ipsa morte recordatio tui; in
sepulchro quis celebraret te?
- 7 Defatigatus sum in gemitu meo; feci, ut natet
totam noctem lectus meus: lacrymis meis spon-
dam meam liquefeci.
- 8 Depastus est ab indignatione oculus meus; con-
senuit inter omnes oppressores meos.
- 9 Recedite a me, omnes, qui datis operam ini-
quitati: nam audit Jehova vocem fletus mei.
- 10 Audit Jehova deprecationem meam: Jehova ora-
tionem meam acceptam habet.
- 11 Erubescant et conturbentur valde omnes inimici
mei: revertantur, erubescant momento.

VII.

Ode mixta Davidis, quam cecinit Jehovæ ad verba
Cusi Benjaminitæ.

- 2 JEHOVA, Deus mi, ad te recipio me: salvum
me fac ab omnibus persequentibus me, et li-
bera me.
- 3 Ne abripiat tanquam leo animam meam; dila-
ceret nemine liberante.
- 4 Jehova, Deus mi, si feci istud, si est iniquitas
ista in manibus meis:
- 5 Si intuli malum colenti pacem mecum, qui ex-
pedire solitus sum *quemque* opprimentem me
immerito:
- 6 Persequatur inimicus animam meam et assequa-
tur; conculcetque in terra *auferens* vitam meam,
et faciat, ut gloria mea in pulvere habitet, *ut*
qui maxime.
- 7 Surge, Jehova, in ira tua; extolle te gravis-

- simo furore percitus in eos, qui me opprimunt: et invigilans *attende* ad me; iudicium præcepisti.
- 8 Ergo cœtus nationum circumdet te, et supra hunc in altum revertere.
- 9 Jehova jus dicit populis, judica me, Jehova, secundum justitiam meam et secundum integritatem meam *pronuncia* pro me.
- 10 Deficiat, quæso, malum improborum, et stabilito justum: prout explorator *es* animorum et renum, Deus juste.
- 11 Clypeus meus *est* in Deo; qui dat salutem rectis corde:
- 12 Deo vindice justi; et *Deo* forti detestante quotidie.
- 13 Si non convertatur *improb*us, gladium suum acuet; arcum suum adduxit, et *sagittam* aptavit ei.
- 14 Denique in eum aptavit arma lethifera: sagittas suas in fervidos occupaturus est.
- 15 Ecce, parturiet vanitatem; ut concepit laborem, ita mendacium pariet.
- 16 Cisternam fodit, et excavavit eam: dejecit eo se, in fovea operaturus *opus suum*.
- 17 Redibit labor ejus in caput ejus: et super verticem ejus injuria ejus descensura est.
- 18 Celebrabo Jehovam secundum justitiam ejus; et psallam nomini Jehovæ excelsi.

VIII.

Magistro symphonie ad stationem Gitthæam psalmus Davidis.

- 2 JEHOVA, Domine noster, quam magnificum *est* nomen tuum in universa terra, cui exponis super cœlestem decorem tuum!

- 3 Ab ore infantium et lactantium fundatam disposuisti laudem, propter hostes tuos, ad compescendum inimicum et ultorem sui.
- 4 Quum respicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum: lunam et stellas, quas statuisti;
- 5 Quid *est* mortalis, quod memor sis ejus? aut filius hominis, quod visites eum?
- 6 Minorem quidem fecisti eum paulisper angelis: sed gloria et majestate coronasti eum;
- 7 Præfecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus ejus;
- 8 Greges et armenta, quotquot sunt: etiamque bestias agrestes;
- 9 Aves cœli et pisces maris: quicquid permeat semitas marium.
- 10 Jehova, Domine noster, quam magnificum *est* nomen tuum in universa terra!

IX.

Magistro symphonici acutæ ad medianam psalmus
Davidis.

- 2 ✠ CELEBRABO, Jehova, ex toto animo meo; enarrabo omnia mirabilia tua *opera*.
- 3 Lætabor et exultabo in te; psallam nomini tuo, Excelse:
- 4 ☩ Revertentes inimicos meos retrorsum corruere et perire a facie tua.
- 5 Nam exercuisti jus meum et causam meam; sedisti in solio, o vindex justitiæ.
- 6 ☩ Increpasti gentes, perdidisti improbum; nomen istorum delevisti in secula sempiterna.
- 7 ☩ O inimice, consummatæ sunt vastitates in æternum, et civitates exstirpasti, *scilicet* istorum: istorum, *inquam*, memoria periit.

- 8 ¹ At Jehova in seculum sedebit, comparans ad
judicium solium suum:
- 9 Et ipse judicaturus orbem juste; jus dicturus
nationibus rectissime.
- 10 Eritque Jehova edita arx tenui; edita arx tem-
poribus, *quibus est* in angustia.
- 11 Itaque fiduciam habebunt in te, qui noverunt
nomen tuum: quia non derelinquis quærentes te,
Jehova.
- 12 ¹ Psallite Jehovæ, qui sedet Zione; nunciate in
populos res gestas ejus:
- 13 Eum, qui reposcit sanguinem cæde fusum, ho-
rum recordari; non oblivisci clamoris pauperum
afflictorum;
- 14 ¹ *Clamantium*, Gratiam fac mihi, Jehova; re-
spice afflictionem meam *illatam* ab osoribus
meis, exaltans me e portis mortis:
- 15 Ut enarrem universam laudem tuam in portis
filiae Zionis: exultem in salute tua, *dicens*,
- 16 ² Demersæ sunt gentes in foveam, *quam* fe-
cerant; ad rete, quod absconderant, captus est
pes earum.
- 17 Notum se fecit Jehova iudicio, *quod* exercuit,
quum suo ipsius facto illaqueatus est improbus:
rem meditandam summe!
- 18 ¹ Retro agentur improbi ad sepulchrum usque;
omnes gentes oblitæ Dei.
- 19 ² Non enim oblivioni unquam tradendus est
egens; expectatio pauperum *non* peritura est in
perpetuum.
- 20 Surge, Jehova, ne roboret se mortalis: judi-
cium subeant gentes coram facie tua.
- 21 Incute, Jehova, timorem eis: vehementissime
agnoscant gentes se mortales esse.

X.

- 1 ^b QUARE, Jehova, absistis in longinquo? *quare* te occultas temporibus, *quibus sumus* in angustia?
- 2 Superbia improbi fervide infestatur pauper afflictus: deprehendantur in cogitationibus, quas comminiscuntur.
- 3 Nam laudat improbus animam suam in desiderio ipsius; et quæstum facienti benedicit; irritat Jehovam.
- 4 Improbi in elatione vultus sui, non inquirere, nullum *esse* Deum: hæ sunt omnes cogitationes ejus.
- 5 Munitæ sunt viæ ejus quocunque tempore; altissime *absunt* judicia tua a conspectu ejus: quicunque sunt hostes ejus, in eos favilla incendium facit.
- 6 Dicit cum animo suo, Non dimovebor; nulla ætate se non *fore* in malo.
- 7 Exsecratione os ejus plenum est, fraudibusque et dolo; subest linguæ ejus molestia et vanitas.
- 8 Desidet in specu villarum, in latebris, occisurus innocentem: oculi ejus contra defectum viribus delitescunt.
- 9 Insidiatur in latibulo, sicut leo in tugurio suo; insidiatur ad rapiendum pauperem afflictum, rapturus pauperem afflictum trahendo eum in rete suum.
- 10 Atterit se, incurvat se; et procidit *membris* robustis suis, *tanquam si essent* defecta viribus.
- 11 Dicit cum animo suo, Oblitus est *Deus* fortis; abscondit faciem suam, non respicit unquam.
- 12 ^p Surge, Jehova, *Deus* fortis; attolle manum tuam: ne obliviscaris pauperum afflictorum.

- 13 Quam ob rem irritat improbus Deum? dicit cum animo suo, te non repositurum esse?
- 14 ¶ Visum est tibi, quum tu molestiam et indignationem intueris, reponere manu tua? tuæ fidei committit se defectus viribus, pupilli tu es adjutor.
- 15 ¶ Frange brachium improbi et mali: inquire in improbitatem ejus, *donec* non invenias amplius!
- 16 Jehova rex sempiternus est; perierunt gentes e terra ipsius.
- 17 ¶ Desiderium mansuetorum exaudivisti, Jehova. confirma animum horum, adverte aurem tuam:
- 18 Vindicanda pupillum et attritum; ut non pergat amplius eum violenter exagitare mortalis e terra.

XI.

Magistro symphoniam ode Davidis.

- 1 AD Jehovam me recipio; quomodo dicitis animæ meæ, Emigra e monte vestro, avicula?
- 2 Nam ecce, isti improbi adducunt arcum, aptant sagittam suam nervo, ad jaculandum in caligine contra *homines* rectos corde.
- 3 Quum fundamenta ipsa destruentur, quid fuerit operatus justus?
- 4 Jehova in templo sanctitatis suæ, Jehova, cujus solium *est* in cœlis, cujus oculi vident, cujus palpebræ explorant filios hominum;
- 5 Jehova justum explorat; inprobum vero et amantem violentiæ odit animus ipsius.
- 6 Depluet super improbos prunas, ignem et sulphur: ventusque procellosissimus portio calicis eorum *futurus est*.
- 7 Nam justus Jehova quæ justa sunt diligit: rectum aspicit vultus ipsius.

XII.

Magistro symphonie ad gravem *symphoniam* psalmus
Davidis.

- 2 DA salutem, Jehova, nam desiit beneficus:
nam defecerunt veraces ex filiis hominum.
- 3 Vanum loquuntur alter cum altero; labio blandi-
tiarum *artifice*, duplice corde loquuntur.
- 4 Exscindet Jehova omnia labia blanda, linguam
grandiloquam;
- 5 Eos qui dicunt, Linguae nostrae jus obtinebimus,
labia nostra penes nos *sunt*: quis *esset* dominus
nobis?
- 6 A vastatione pauperum afflictorum; ab exclam-
atione egentium jam exurgam, dicit Jehova:
locabo in salute *illum*, in quem favilla incen-
dium *improbus* fecerit.
- 7 Dicta Jehovae dicta pura sunt: argentum pur-
gatum in catino lectissimo terrae, defaecatum
septies.
- 8 Tu, Jehova, servato eos: custodito eorum quem-
que a generatione ista in seculum;
- 9 *In qua* circumquaque improbi obambulant; quum
extollitur res vilis inter filios hominum.

XIII.

Magistro symphonie psalmus Davidis.

- 2 QUOUSQUE, Jehova? oblivisceris mei in æter-
num? quousque abscondes faciem tuam a me?
- 3 Quousque repositurus sum consilia in animo meo,
mœrorem in corde meo de die?

Quousque attollet se inimicus meus contra me?

- 4 Intuere, exaudi me, Jehova, Deus mi! illustra
oculos meos, ut non dormiam *dormitione* mortis:

5 Ut non dicat inimicus meus, prævalui ei: hostes mei exsultent, quum dimotus fuero.

6 Ego enim in benignitate tua fiduciam habeo, exsultet animus meus in salute tua:

Cantabo Jehovæ, quum bono affecerit me.

XIV.

Magistro symphonie ode Davidis.

1 DICIT stultus cum animo suo, Non est Deus! corrumpunt, abominandam *quamque* actionem perpetrant, non *est* qui faciat bonum.

2 Jehova e cœlis prospectat super filios hominum; ut videat an sit *ullus*, qui intelligat, qui exquirat Deum.

3 Unusquisque recessit, *omnes* simul putidi facti sunt; non *est* qui faciat bonum, non *est* vel unus.

4 An non sibi sunt conscii omnes, qui operam dant iniquitati, quod excedentes populum meum edunt panem, Jehovam non invocant?

5 Ibi expavescunt pavore: quia Deus adest generationi justæ, *dicens*:

6 Consilium pauperis afflicti pudefacietis scilicet, quia Jehova *est* receptus ejus.

7 O *si* quis det e Zione salutem Israelis, reducete Jehova reducem turbam populi sui! exsultabit Jacob, lætabitur Israel.

XV.

Psalmus Davidis.

1 JEHOVA, quis commoraturus est in tentorio tuo? quis habitaturus in monte sanctitatis tuæ?

2 Qui ambulat integre, exercetque justitiam, ac loquitur veritatem ex animo suo:

- 3 Non obtretrat lingua sua, non afficit proximum suum malo, et opprobrium non effert in propinquum suum:
- 4 In cujus oculis contemptus *est* reprobis; timentes vero Jehovæ honorat: juratus in damnum suum, non tamen mutat.
- 5 Pecuniam suam non exponit scœnori, et munus contra innocentem non accipit, qui facit ista, nunquam dimovebitur.

XVI.

Insignis ode Davidis.

- 1 SERVA me, *Deus* fortis, nam me recipio ad te.
- 2 Dixi Jehovæ, Dominus meus es: bonum meum non *es conditurus* penes te:
- 3 Sanctis qui in terra *sunt* et magnificis *collaturus es*; iis, in quibus *est* tota oblectatio mea.
- 4 Horum multiplicant dolores, *qui* alium dant: non sum libaturus libamina istorum ex sanguine, neque assumpturus nomina eorum in labiis meis.
- 5 Jehova portio prædii mei et poculi mei: tu sustentas sortem meam.
- 6 Funiculi acciderunt mihi in locis amœnissimis; etiam, possessio est elegantissima, *quæ* obtigit mihi.
- 7 Benedicam Jehovæ, qui dedit consilium mihi *quo auctore* etiam per noctes erudiunt me renes mei.
- 8 Propono mihi Jehovam jugiter: quia a dextera mea *est*, non dimovebor.
- 9 Idcirco lætatur animus meus, et exultat gloria mea: etiam caro mea habitat secure:

- 10 Quia non es derelicturus animam meam in sepulchro: neque expositurus eum, quem benignitate prosequeris, ut videat corruptionem.
- 11 Notam facis mihi semitam vitæ, satietatem gaudiorum in conspectu tuo amœnissimorum, dextera tua in æternitatem.

XVII.

Oratio Davidis.

- 1 EXAUDI, Jehova, justitiam; attende ad clamorem meum, aurem præbe orationi meæ, *quam habeo* absque labiis dolosis.
- 2 A facie tua jus meum prodeat: oculi tui videant, quæ recta sunt.
- 3 Quum exploraveris animum meum, visitaveris de nocte, probaveris me, non invenies: *quod cogito*, non transgreditur os meum.
- 4 Ad opera humana *instituenda*, ex verbo labiorum tuorum ego observo semitas effractoris.
- 5 Contine gressus meos in orbitis tuis; ne moveantur pedes mei.
- 6 Ego invoco te, quia exaudis me, Deus fortis: inclina aurem tuam ad me, ausculta sermonem meum.
- 7 Separa benignitates tuas, o qui servas recipientes se ad dexteram tuam ab insurgentibus.
- 8 Serva me tanquam nigrum pupillæ oculi: umbra alarum tuarum absconde me:
- 9 Propter improbos, qui vastant me; inimicos meos capitales, *qui cingunt* me.
- 10 Adipem suum obesant; ore suo loquuntur superbe;
- 11 Gressum nostrum nunc circumdant nobis: oculos suos adjiciunt declinando in terram.

- 12 Similitudo cujusque *est* tanquam leonis appetentis rapere; et velut juvenis leonis residentis in latibulis.
- 13 Surge, Jehova, anticipa faciem ejus; prosterne eum, eripe animam meam gladio tuo ab improbo:
- 14 Ab hominibus *eripe* manu tua, Jehova, ab hominibus e mundo, quorum portio *est* in hac vita, quorum ventrem imples recondito *thesauro* tuo: satiantur filii, et relinquunt excellentiam suam infantibus suis.
- 15 Ego in justitia videbo vultum tuum; satiabor, quum expergiscar, similitudine tua.

XVIII.

Magistro symphonie servi Jehovæ, Davidis, qui, elocutus est Jehovæ verba canticum hujus, qua die eripuerat Jehova eum e manu omnium inimicorum ipsius, ut e manu Saulis. Et dixit:

- 2 Ex intimis visceribus diligam te, Jehova, firmitas mea.
- 3 Jehova, petra mea, et propugnaculum meum, et liberator meus; Deus fortis meus, rupes mea, ad quem me recipiam; clypeus meus, et cornu salutis meæ; editus locus meus.
- 4 Laudatum invoco Jehovam, et ab inimicis meis servor.
- 5 Circumdantibus me doloribus mortis, et torrentibus *hominum* nequam perterrentibus me:
- 6 Doloribus sepulchri circumeuntibus me, occurrentibus mihi tendiculis mortis:
- 7 In ipsa angustia mea invoco Jehovam, et ad Deum meum vociferor: exaudit e templo suo vocem meam, et vociferatio mea coram eo pervenit ad aures ejus.

- 8 Et concutitur ac movetur terra, fundamentaque montium commoventur; concutiuntur autem, quum *ira* accenditur ei.
- 9 Ascendit fumus per nasum ejus, et ignis ex ore ejus consumens, prunæ ardentes ab eo *sunt*.
- 10 Et demittens cœlum descendit, cum caligine sub pedibus suis:
- 11 Et insidens Cerubinis volat, volitatque super alas venti:
- 12 Disponit tenebras latibulum suum, circa se tugurium suum tenebrosas aquas, densitates superiorum nubium.
- 13 A splendore, *qui est* ante eum, nubes ejus densæ transeunt; grando et prunæ igneæ.
- 14 Tonante in cœlis Jehova, et excelso edente vocem suam; grando et prunæ igneæ.
- 15 Ita emittens sagittas suas dispergit illos: et fulgura jaculans fundit illos.
- 16 Conspiciuntur etiam imi alvei aquarum, et revelantur fundamenta orbis habitabilis increpatione tua, Jehova, flatu spiritus nasi tui.
- 17 Mittens ex edito assumit me, extrahit me ex aquis multis:
- 18 Eripit me ab inimico meo valentiore; et ab osoribus meis, quum robustiores sunt me.
- 19 *Quum* occurrunt mihi in tempore calamitatis meæ, tum *est* Jehova pro scipione mihi.
- 20 Et educit me in latum; liberat me, quia delectatur me.
- 21 Tribuit mihi Jehova secundum justitiam meam, secundum puritatem manuum mearum restituit mihi.
- 22 Quum observo vias Jehovæ, neque improbe avertō me a Deo meo;

- 23 Quum omnia judicia ejus in conspectu meo sunt,
et statuta ejus non amoveo a me;
- 24 Denique quum sum integer coram eo; et caveo
mihi, ne inique agam;
- 25 Restituit Jehova mihi secundum justitiam meam,
secundum puritatem manuum mearum coram oculis suis.
- 26 Cum benigno benignum te exhibes; cum viro
integro integrum te exhibes;
- 27 Cum puro purum te præbes: at cum perverso
eluctaris:
- 28 Quia tu populum afflictum servas, oculos vero
elatos dejicis.
- 29 Quin tu illustras lucernam meam: Jehova Deus
meus splendentes efficit tenebras meas.
- 30 Per te enim transcurro turmam; et per Deum
meum transilio murum.
- 31 Hujus *Dei* fortis integra est via, sermo Jehovæ
purgatissimus est: clypeus est omnibus, qui se
recipiunt ad eum.
- 32 Nam quis est Deus præter Jehovam? et quis
rupes præterquam Deus noster?
- 33 Hic *Deus* fortis est, qui accingit me robore, et
reddit integram viam meam;
- 34 Disponens pedes meos tanquam cervarum, ut in
excelsis meis statuam me:
- 35 Docens manus meas proelium, adeo ut frangatur
arcus chalybeus brachiis meis.
- 36 Nam das mihi clypeum salutis tuæ, dexteraque
tua sustentat me, et mansuetudo tua adauget me.
- 37 Dilatas gressui meo locum meum; neque vacil-
lant malleoli pedum meorum.
- 38 Persequor inimicos meos, et assequor eos:
neque revertor, donec consumsero eos.

- 39 Frango eos, adeo ut non possint exsurgere, cadentes sub pedibus meis.
- 40 Accingis enim me robore ad bellum; prosternis insurgentes in me sub me.
- 41 Et inimicorum meorum exponis mihi cervicem, ut osores meos exscindam.
- 42 Vociferantur, sed non *est* qui servet; ad Jehovam, sed non exaudit eos.
- 43 Itaque contundo eos tanquam pulverem coram vento; ut lutum platearum frio eos.
- 44 Liberas me a contentionibus populi; disponis me in caput gentium; populus, quem non noveram, serviunt mihi:
- 45 Ad auditionem auris obediunt mihi, alienigenæ mendaciter se dedunt mihi;
- 46 Alienigenæ decidunt, et horrescunt e conclavibus suis.
- 47 Vivit Jehova, et benedicta rupes mea: quapropter exaltetur Deus salutis meæ:
- 48 *Deus* ille fortis, qui præstat ultiones mihi, et adducit populos subter me.
- 49 Liberans me ab inimicis meis, etiam supra insurgentes in me exaltasti me; a viro violento eripuisti me.
- 50 Idcirco celebrabo te in gentibus, Jehova; et nomini tuo psallam:
- 51 Magnificam præstare salutem omnimodam regi suo: et exercere benignitatem erga unctum suum, erga Davidem et erga semen ejus usque in seculum.

XIX.

Magistro symphonie psalmus Davidis.

- 2 COELI enarrant gloriam *Dei* fortis, et opus manuum ejus indicat expansum eorum.

- 3 Dies ad diem eructat sermonem; et nox ad noctem ostendit scientiam.
- 4 Non *est* sermo, neque verba *eis*; et sine *his* intelligitur vox eorum.
- 5 In totam terram prodeunte delineatione eorum, simul *prodierunt* in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum; *ex quo* soli disposuit tentorium in eis.
- 6 Nam est tanquam sponsus prodiens e thalamo suo; lætatur tanquam robustus decursurus viam.
- 7 Ab extremitate cœlorum exortus ejus, et revolutio ejus ad extremitates eorum *est*: nec *est* quod abscondatur a calore ejus.
- 8 Doctrina Jehovæ integra *est*, restituens animam; testimonium Jehovæ verax, sapientiam afferens imperito.
- 9 Mandata Jehovæ *sunt* recta lætificantia animum; præceptum Jehovæ purum, illustrans oculos.
- 10 Reverentia Jehovæ munda, consistens in sempiternum; judicia Jehovæ *sunt* ipsa veritas, justa sunt pariter;
- 11 Desideratissima, *desiderabiliora* auro, et quidem auro purgatissimo quamplurimo; ac dulciora melle, et quidem acoeto melle.
- 12 Tum *me* servum tuum commonefactum istis in horum observatione *esse* emolumentum magnum,
- 13 (*Nam* errores quis intelligat?) *me*, *inquam*, ab occultis absolve:
- 14 Tum a contumaciis subtrahe servum tuum, ne dominantur in me: tunc integer et insons ero a defectione magna.
- 15 Sint accepti sermones oris mei, et meditatio animi mei coram te, Jehova, rupes mea et redemptor mi.

XX.

Magistro symphonie psalmus Davidis.

- 2 EXAUDIAT te Jehova tempore angustie; te in edito collocet nomen Dei Jacobi:
- 3 Mittat auxilium tuum e sancto, et e Zione fulciat te.
- 4 Odoretur omnia munera tua, et holocaustum tuum in cinerem redigat, ut quum maxime.
- 5 Det tibi ex animo tuo, et totum tuum consilium impleat.
- 6 Canamus de salute tua, et in nomine Dei nostri vexillis utamur: impleat Jehova omnes petitiones tuas.
- 7 Jam agnosco Jehovam servare unctum suum, exaudire eum de celis sanctitatis sue; ex summa fortitudine, salute dexteræ sue.
- 8 Hi curruum, et illi equorum, nos vero nominis Jehovæ Dei nostri recordamur.
- 9 Illi incurvant se et cadunt: nos vero surgimus et consistimus.
- 10 Jehova, serva! rex ipse exaudiat nos, quo tempore invocabimus.

XXI.

Magistro symphonie psalmus Davidis.

- 2 JEHOVA, de robore tuo lætatur rex, et de salute tua quam exultat valde!
- 3 Desiderium animi ejus das ei; pronunciatum laborum ejus non avertens, maxime.
- 4 Quin prævenis eum benedictionibus boni, imponis capiti ejus coronam auri purgatissimi.
- 5 Vitam petiit abs te; dedisti ei, *etiam* longitudinem dierum in seculum et sempiternum.
- 6 Magna *est* gloria ejus per salutem tuam; decus et majestatem posuisti in eo.

- 7 Nam disposuisti illi benedictiones in sempiternum, exhilaravisti eum lætitia a facie tua.
- 8 Quoniam ipse rex confidit Jehovæ, ideo fretus benignitate excelsi non dimovebitur.
- 9 Assequeris manu tua omnes inimicos tuos, dextera tua assequeris osores tuos.
- 10 Disponis eos *ut* fornacem ignis tempore faciei iratæ tuæ; Jehova ira sua absorbet eos, quasi consumat eos ignis.
- 11 Fructum eorum e terra perdis, et semen eorum e filiis hominum.
- 12 Quoniam intenderunt tibi malum; commenti sunt cogitationem, non possunt *perficere*.
- 13 Nam ponis eos *velut* tumulum; nervis tuis aptatas *sagittas* jacularis contra faciem eorum.
- 14 Exaltare, Jehova, robore tuo; cantemus et psallamus fortitudinem tuam.

XXII.

Magistro symphonie ad primam auroram psalmus
Davidis.

- 2 MI *Deus* fortis, mi *Deus* fortis, quare dereliquisti me, longinquus a salute mea, a verbis rugitus mei?
- 3 Deus mi, *quare* invocantem me interdiu non exaudis? et noctu *invocanti* non *est* silentium mihi?
- 4 Atqui sanctus es permanens, perfecta laus Israelis.
- 5 Tibi confisi sunt majores nostri: confisi sunt, et liberasti eos.
- 6 Ad te clamaverunt, et erepti sunt; tibi confisi sunt, nec puduit eos.

- 7 At ego *sum* vermis, ac non vir; opprobrium hominum, et contemptus populo.
- 8 Omnes videntes me subsannant me; diducunt labium, movent caput.
- 9 Devolvit se ad Jehovam (*inquiunt*); liberet eum, eripiat eum, quandoquidem delectatur eo.
- 10 Quum tu *sis*, qui eduxisti me ex utero: faciens ut securus agerem ad ubera matris meæ:
- 11 In te rejectus sim ex vulva; inde ab utero matris meæ *Deus* fortis meus sis:
- 12 Ne procul absis a me, dum angustia propinqua est, dum nemo *est* adjutor.
- 13 Circumdant me juvenci multi; robusti *juvenci* Basanis cingunt me.
- 14 Dilatant contra me os suum, *tanquam* leo rapiens et rugiens.
- 15 Sicut aqua effundor, et disparant se omnia ossa mea: est cor meum simile ceræ, liquefit in visceribus meis.
- 16 Arescit ut testa vis mea, et lingua mea adhæret faucibus meis: et in pulvere lethali collocas me.
- 17 Nam circumdederunt me canes, cœtus maleficorum circumvenerunt me; foderunt manus meas et pedes meos.
- 18 Enumerare possem omnia ossa mea: ipsi intuentur, respiciunt in me.
- 19 Partiuntur vestimenta mea inter se, et pro indumento meo projiciunt sortem.
- 20 Tu ergo, Jehova, ne procul absis! virtus mea, ad auxilium meum festina!
- 21 Eripe a gladio animam meam, a cane unicam meam!
- 22 Serva me ab ore leonis et a cornibus unicornium, exaudiens me!

- 23 Enarrabo nomen tuum fratribus meis: in media congregatione laudabo te:
- 24 *Dicens*, Timentes Jehovæ, laudate eum: totum semen Jacobi, honorate eum: et timete ab eo, totum semen Israelis.
- 25 Quia non spernit, neque abominatur afflictionem afflicti, neque abscondit faciem suam ab eo: sed quum vociferatur ad ipsum, exaudit.
- 26 De *bonis obventuris* a te *futura est* laus mea in congregatione multa: vota mea persolvam coram reverentibus eum.
- 27 Comedent mansueti, et saturabuntur; laudabunt Jehovam quærentes eum; vivet animus vester in sempiternum.
- 28 Recordabuntur et convertentur ad Jehovam omnes fines terræ; et incurvabunt se coram te *honorem exhibentes* omnes familiæ gentium.
- 29 Quoniam Jehovæ *est* regnum ipsum, et dominium habet in gentes.
- 30 Comedentes incurvabunt sese omnes pingues terræ; coram eo procumbent, quicumque descendunt in pulverem, *qui* animam suam in vita non conservaverit.
- 31 *Horum* semen colet eum, accensebitur Domino in quaque ætate.
- 32 Advenientes annuntiabunt justitiam ejus populo nascituro, ipsum exercere *eam*.

XXIII.

Psalmus Davidis.

- 1 JEHOVA pastor meus *est*, non possum egere.
- 2 In caulis herbidis facit ut recubem, secundum aquas lenes deducit me.
- 3 Animam meam quietam efficit; ducit me per orbitas justitiæ, propter nomen suum.

- 4 Etiam quum ambulare per vallem lethalis umbræ, non timerem malum, quia tu mecum es: virga tua et pedum tuum, ipsa consolantur me.
- 5 Instruis coram me mensam e regione hostium meorum: delibutum reddis unguento caput meum, poculum meum exuberans.
- 6 Nihil nisi bonum et benignitas prosequuntur me omnibus diebus vitæ meæ; et quietus ero in domo Jehovæ, quamdiu longa erunt tempora.

XXIV.

Davidis psalmus.

- 1 JEHOVÆ est terra, et quod implet eam; orbis habitabilis, et habitantes in eo.
- 2 Nam ipse super maria fundavit illam, et super flumina stabilivit illam.
- 3 Quis ascensurus est in montem Jehovæ, et quis staturus in loco sanctitatis ejus?
- 4 Innocens manibus et purus animo; qui non effert ad vanitatem animam suam, neque jurat ad fraudem:
- 5 Is reportat benedictionem a Jehova, et justitiam a Deo salutis suæ.
- 6 Hæc est generatio requirentium eum: quærentium faciem tuam, generatio Jacobi, summe quærentium.
- 7 Attollite, portæ, capita vestra! et attollite vos, ostia seculi! ut ingrediatur rex gloriæ.
- 8 Quis est iste rex gloriæ? Jehova robustissimus et potentissimus; Jehova potentissimus bellator.
- 9 Attollite, portæ, capita vestra! attollite, inquam, ostia seculi! ut ingrediatur rex gloriæ.

- 10 Quis *est* iste rex gloriæ? Jehova exercituum: *is est* rex gloriæ summe.

XXV.

Ode Davidis.

- 1 ✠ AD te, Jehova, animam meam attollo.
 2 ☩ Deus mi, in te confido; ne erubescam, ne exsultent inimici mei de me.
 3 ☩ Etiam ulli expectantes te, ne erubescant: erubescant, qui perfide agunt immerito.
 4 ☩ Vias tuas, Jehova, notas fac mihi; semitas tuas doce me.
 5 ☩ Fac, ut incedam per veritatem tuam, et doce me; nam tu *es* Deus salutis meæ, te exspecto totum diem.
 6 ☩ Recordare miserationum tuarum, Jehova, et benignitatum tuarum, eas a seculo esse.
 7 ☩ Peccatorum pueritiæ meæ et defectionum mearum ne recorderis: pro benignitate tua recordare mei tu propter bonitatem tuam, Jehova.
 8 ☩ Bonus et rectus Jehova *est*, idcirco docet peccatores viam:
 9 ☩ Facit, ut incedant mansueti ex jure, et docet mansuetos viam suam:
 10 ☩ Omnes semitæ Jehovæ benignitas et fides *sunt*, custodientibus fœdus ejus et testimonia ejus.
 11 ☩ Propter nomen tuum, Jehova condonabis igitur iniquitatem meam: nam magna est.
 12 ☩ Qualis futurus est vir ille, qui reveretur Jehovam docentem ipsum, quam viam eligat?
 13 ☩ Anima ejus in bono pernoctabit, et semen ejus hæreditario jure possidebit terram.

- 14 **D** Arcanum Jehovæ *adest* reverentibus ipsum et
foedus ejus, ut experimento testetur eis.
- 15 **Ÿ** Oculi mei jugiter ad Jehovam *respiciunt*;
quia ipse educit e reti pedes meos.
- 16 **D** Respice ad me, et gratiam fac mihi; quia so-
litariorum et pauper sum.
- 17 **Ÿ** Oppressiones animi mei dilatant *se*: ab angu-
stiis meis deduc me:
- 18 **Ÿ** Aspice afflictionem meam et laborem meum;
et condona omnia peccata mea.
- 19 **Ÿ** Aspice inimicos meos, quia potentiores sunt,
et odio violento oderunt me.
- 20 **Ÿ** Serva animam meam et eripe me, ne eru-
bescam, quia recipio me ad te.
- 21 **Ÿ** Integritas et rectum custodiant me; quia ex-
specto te.
- 22 **D** Redime, Deus, Israellem ab omnibus oppres-
sionibus ejus.

XXVI.

Ode Davidis.

- 1 **JUDICEM** meum age, Jehova, quoniam ego in
integritate mea ambulo; et Jehovæ confido, me
non vacillaturum.
- 2 Proba me, Jehova, et tenta me; examina renes
meos et animum meum.
- 3 Nam benignitas tua coram oculis meis *est*, et
indesinenter ambulo in veritate tua.
- 4 Non sedeo cum hominibus vanis, et cum dissi-
mulatis non convenio.
- 5 Odi congregationem maleficorum, et cum impro-
bis non sedeo.
- 6 Lavo in innocentia manus meas, et circumeo
altare tuum, Jehova:

- 7 Personando voce gratiarum actionis, et enarrando omnia mirabilia tua.
- 8 Jehova, diligo habitaculum domus tuæ; et locum, tabernaculum gloriæ tuæ.
- 9 Ne aggredes penes peccatores animam meam, et penes viros sanguinarios vitam meam:
- 10 Quorum in manibus scelus, quorum dextera plena est corruptionis muneribus.
- 11 At ego in integritate mea ambulo: redime me, et gratiam fac mihi.
- 12 Pede meo consistente in plano, in congregationibus benedicam Jehovæ.

XXVII.

Ode Davidis.

- 1 JEHOVA lux mea et salus mea *est*, a quo timerem? Jehova robur vitæ meæ *est*, a quo expavescerem?
- 2 Belligerantibus contra me maleficis ad exedendum carnem meam, hostibus meis et inimicis meis in me; ipsi corruunt et concidunt.
- 3 Si metarentur contra me castra, non timeret animus meus: si insurgeret contra me bellum, hac re ego securus essem.
- 4 Unum petii a Jehova, ad ipsum requiro, ut consideream in domo Jehovæ omnibus diebus vitæ meæ, ad videndum amœnitatem Jehovæ, et inquirendum in templo ejus.
- 5 Nam abscondit me in tugurio suo tempore adversitatis; abdit me in abdito tentorii sui, in rupem attollit me:
- 6 Jam vero extollitur caput meum supra inimicos meos circumstantes me; ut sacrificem in tentorio ejus sacrificia clangoris, canam et psallam Jehovæ.

- 7 Audi, Jehova, *me* voce mea clamantem; gratiamque fac mihi, et exaudi me.
- 8 Tuum *illud*, Requirite faciem meam, cogitat animus meus: faciem tuam, Jehova, requiro.
- 9 Ne abscondas faciem tuam a me, ne avertas in ira servum tuum: auxilium meum fuisti, ne deseras me, neque derelinquas me, Deus salutis meæ.
- 10 Nam pater meus et mater mea derelinquunt me, sed Jehova recipiet me.
- 11 Doce me, Jehova, viam tuam, et deduc me per semitam planam; propter observantes me.
- 12 Ne tradas me desiderio hostium meorum; nam consistunt contra me testes mendaces, et qui spirant violentiam:
- 13 *Abrepturi me*, nisi crederem me fruiturum bonitate Jehovæ in terra viventium.
- 14 Exspecta Jehovam; confirmare, et fortificabit animum tuum: itaque exspecta Jehovam.

XXVIII.

Ode Davidis.

- 1 TE, Jehova, inclamo; rupes mea, ne surdum agas *aversus* a me: ut non, si mutus eris *et aversus* a me, consimilis fiam descendentibus in sepulchrum.
- 2 Audi vocem deprecationum mearum, dum vociferor ad te; dum attollo manus meas ad adytum sanctitatis tuæ.
- 3 Ne trahas me penes improbos, et penes operarios iniquitatis; loquentes pacem cum proximis suis, malitia *obtinente* in animo eorum.
- 4 Da istis secundum opus ipsorum, et secundum malignitatem actionum ipsorum; secundum opus

manuum ipsorum da eis, redde retributionem suam eis.

5 Quia non animadvertunt ad opera Jehovæ et ad factum manuum ejus, destructurus est eos, non autem exstructurus eos.

6 Benedictus *sit* Jehova, quia exaudivit vocem deprecationum mearum;

7 Jehova robur meum et scutum meum, cui confidente animo meo adjuvor; idcirco exsultat animus meus, ut cantico meo celebrem eum.

8 Jehova robur istis, et robur maxime salutare est Christus illius.

9 Serva populum tuum, et benedic possessioni tuæ: pasceque eos ac extolle eos usque in seculum.

XXIX.

Psalmus Davidis.

1 CEDITE Jehovæ, filii fortium, cedite Jehovæ gloriam et laudem.

2 Cedite Jehovæ gloriam nominis ejus, incurvate vos honorem exhibentes Jehovæ in decoro sanctitatis.

3 Vox Jehovæ supra aquas, *vox Dei* fortis gloriosi intonat, *vox* Jehovæ supra aquas multas:

4 Vox Jehovæ potenter, *vox* Jehovæ decore,

5 Vox Jehovæ confringit cedros, perfringit etiam Jehova cedros Libani:

6 Et facit, ut exsiliant sicut vitulus, Libanus et Sirjon ut pullus unicornium.

7 Vox Jehovæ cædit flammæ ignis.

8 Vox Jehovæ dolore afficit desertum, dolore afficit Jehova desertum Kadesi.

- 9 Vox Jehovæ facit, ut pariant cervæ, et denu-
dat silvas: verum in templo suo eloquitur totam
gloriam suam.
- 10 Jehova in diluvio sedebat: et sedet Jehova rex
in seculum.
- 11 Jehova robur populo suo dat, Jehova benedicit
populo suo cum pace.

XXX.

Psalmus Davidis; canticum dedicationis domus
illius.

- 2 EXTOLLAM te, Jehova; quoniam evexisti me,
neque lætitia affecisti inimicos meos de me.
- 3 Jehova, Deus mi, vociferantem ad te curasti me.
- 4 Jehova eduxisti e sepulchro animam meam, con-
servans me vivum, ne descenderem in sepul-
chrum.
- 5 Psallite Jehovæ, quos ipse benignitate pro-
sequitur; et celebrate ad memoriam sanctitatis
ejus.
- 6 Quum momento *fuit* in ira sua, vita *adest* be-
nevolentia ejus: vespere si diversetur fletus,
mane *adest* cantus.
- 7 Nam ego dicebam in tranquillitate mea, Non
dimovebor in seculum.
- 8 Jehova, benevolentia tua constitueras in monte
meo robur, te abscondente faciem tuam fui con-
turbatus.
- 9 Ad te, Jehova, clamavi, et Jehovam depreca-
tus sum, *dicens*,
- 10 Quid lucri *erit* in sanguine meo, quum descen-
dam in foveam? an celebrabit te pulvis? nun-
ciabitne veritatem tuam?

- 11 Audi, Jehova, et gratiam fac mihi; Jehova, esto adiutor mihi.
- 12 Convertisti planctum meum in choream mihi; solvisti cilicium meum, et accinxisti me lætitia:
- 13 Ut psallat tibi gloria, ac non conticescat; Jehova, Deus mi, in seculum celebrabo te.

XXXI.

Magistro symphonie psalmus Davidis.

- 2 AD te, Jehova, me recipio, ne erubescam in seculum: justitia tua libera me.
- 3 Inclina ad me aurem tuam, cito eripe me: esto mihi rupes robusta, locus munitissimus ad servandum me.
- 4 Nam petra mea et munitio mea es; itaque propter nomen tuum agito me et deducito me.
- 5 Educito me e reti, quod absconderunt adversum me: quia tu robur meum *es*.
- 6 In manum tuam depono spiritum meum: redemisti me, Jehova, *Deus* fortis, verax.
- 7 Odi eos, qui observant vanitates vanissimas: nam ego in Jehova confido.
- 8 Me exsultaturum et lætaturum benignitate tua, quando aspexeris afflictionem meam, agnoveris angustias animæ meæ:
- 9 Ac non tradideris me in manum inimici; *sed* statueris in lato pedes meos.
- 10 Gratiam fac mihi, Jehova, nam angustia *est* mihi; contabescit præ indignatione oculus meus, anima mea, et venter meus:
- 11 Nam deficit mœrore vita mea, et anni mei gemitu: labefactatur pœna iniquitatis, quam patior: virtus mea et ossa mea contabescunt.

- 12 Apud omnes hostes meos sum probro, et apud vicinos meos valde, pavorique notis meis: aspicientes me foris, evagantur a me.
- 13 Oblivione sepelior ab animo, ut mortuus: sum ut instrumentum perditum.
- 14 Nam audio infamiam a multis, metum circumquaque: consultando simul adversus me, de intercepta anima mea cogitant.
- 15 Ego vero in te confido, Jehova; dicens, Deus meus es.
- 16 In manu tua tempora mea sunt; eripe me a manu inimicorum meorum, et a persequentibus me.
- 17 Fac, ut luceat facies tua supra servum tuum; conserva me benignitate tua.
- 18 Jehova, ne erubescam, quandoquidem invoco te: erubescant improbi, excindantur *descensuri* in sepulchrum.
- 19 Muta reddantur labia mendacia, quæ loquuntur contra justum duriter cum elatione et contemtu.
- 20 Quam multa est bonitas tua, quam recondis reverentibus te! operaris erga eos, qui se recipiunt ad te, coram filiis hominum!
- 21 Abdis eos in abdito præsentiæ tuæ ab elationibus virorum: abscondis eos in tugurio a contentione linguarum.
- 22 Benedictus *sit* Jehova; quia mirificam reddit benignitatem suam erga me, *ut* in civitate munita *collocans me*.
- 23 Ego quidem dixeram in festinatione mea, Excisus sum a conspectu oculorum tuorum: veruntamen audisti vocem deprecationum mearum, quum vociferarer ad te.
- 24 Diligite Jehovam omnes, quos benignitate

prosequitur; fideles custodientem Jehovam, et rependentem excellentissime, facientem res magnificas.

- 25 Confirmamini, et fortificabit animum vestrum; omnes, qui speratis Jehovam.

XXXII.

Davidis *ode didascalica*.

- 1 BEATUS levatus a defectione, cujus tectum est peccatum;
- 2 Beatus homo, cui non imputat Jehova iniquitatem, et cujus spiritui non inest dolus.
- 3 Quum silerem, inveterascebant ossa mea in rugito meo toto die.
- 4 Nam interdiu et noctu gravis erat super me manus tua; convertebatur præstantissimus humor meus in siccitates æstivas maxime.
- 5 Peccatum meum notum faciam tibi, et iniquitatem meam non tegam; (inquiebam,) Confitebor defectiones meas Jehovæ; et tu sustulisti pœnam peccati mei maxime.
- 6 Propter hoc oraturus est te, quemcunque benignitate prosequeris, quo tempore obvenerit (in inundatione aquarum multarum, ad eum non pertinent tantum) *dicens*,
- 7 Tu latibulum es mihi, ab angustia custodito me: cantionibus liberationis circumdato me maxime.
- 8 Erudiam te et docebo te, qua via ambulaturus sis; consilium dabo, *attento* in te oculo meo.
- 9 Ne estote ut equus, ut mulus, expertes intelligentiæ: cujus os freno et habena constringendum est, ne appropinquet ad te.

- 10 Magni dolores *sunt* improbo: qui autem fiduciam habet in Jehova, benignitas circumdat eum.
- 11 Lætamini in Jehova et exsultate, justi, et cantate, omnes recti animo.

XXXIII.

- 1 CANTATE, justi, in Jehova! rectos docet laudatio.
- 2 Celebrate Jehovam cithara; nablio et decachordo psallite ei.
- 3 Canite ei canticum novum, optime pulsate cum clangore.
- 4 Quia rectum *est* verbum Jehovæ, et omne opus ejus constans:
- 5 Amat justitiam et judicium: benignitate Jehovæ plena est terra.
- 6 Verbo Jehovæ cœli facti sunt, et spiritu oris ejus totus exercitus eorum.
- 7 Congerit quasi cumulum aquas maris, disponit in thesauris abyssos.
- 8 Timeant a Jehova omnes *incolæ* terræ: ab ipso metuant omnes habitatores orbis.
- 9 Nam ipso dicente est, *quicquid est*: ipso præcipiente existit.
- 10 Jehova irritum facit consilium gentium, infringit cogitationes populorum:
- 11 Consilium *vero* Jehovæ in seculum consistit: cogitationes animi ejus in ætates singulas.
- 12 Beata gens illa, cujus Jehova Deus *est*: populus, *quem* elegit in possessionem sibi.
- 13 E cœlis intuetur Jehova, videt omnes filios hominis:

- 14 E loco habitationis suæ prospicit in omnes habitatores terræ:
- 15 Formator pariter cordis eorum, animadvertit ad omnia opera eorum.
- 16 Non *est* rex, qui servetur multitudine copiarum; potens non eripitur multitudine virium:
- 17 Mendax *est* equus ad salutem, et multitudine roboris sui non liberat *sessorem*.
- 18 Ecce, oculus Jehovæ *attendit* ad timentes sui, ad exspectantes benignitatem ipsius:
- 19 Ut eripiat a morte animam eorum, et vivos conservet eos in fame.
- 20 Anima nostra præstolatur Jehovam: auxilium nostrum et scutum nostrum est.
- 21 Nam in eo lætatur animus noster, quia nomini sancto ejus confidimus.
- 22 Sit benignitas tua, Jehova, super nos; prout exspectamus te.

XXXIV.

Ode Davidis, quum mutasset speciem suam coram Abimeleco, eoque ipsum expellente abiisset.

- 2 & BENEDICAM Jehovæ omni tempore: jugiter laus ejus *erit* in ore meo.
- 3 ☩ In Jehova jactabit se anima mea; audient mansueti, et lætabuntur.
- 4 & Dicam, Magnificate Jehovam mecum, et extolamus nomen ejus pariter.
- 5 ¶ Quæsivi Jehovam, et exaudivit me; ac ex omnibus pavoribus meis eripuit me.
- 6 ☩ Qui intuentur in eum et confluunt, vultus eorum ne erubescant, *sed dicant*:
- 7 † Iste pauper invocavit, et Jehova exaudivit, ac ab omnibus angustiis ejus servavit eum.

- 8 **¶** Castra metantur angeli Jehovæ circa timentes eum; et eripit eos.
- 9 **¶** Gustate et videte bonum esse Jehovam: beatus vir ille, *qui* se recipit ad eum.
- 10 **¶** Timete Jehovam, sancti ejus: quia non *est* penuria timentibus eum.
- 11 **¶** Juvenes leones pauperantur atque esuriunt: quærentes autem Jehovam, non indigent ullo bono.
- 12 **¶** Agite, filii, auscultate mihi: reverentiam Jehovæ docebo vos.
- 13 **¶** Quis *est* vir ille, qui delectatur vita, amat dies, *amat* frui bono?
- 14 **¶** Custodi linguam tuam a malo; et labia tua ne loquantur fraudem.
- 15 **¶** Recede a malo et fac bonum: require pacem et sectare eam.
- 16 **¶** Oculi Jehovæ ad justos, et aures ejus ad vociferationem eorum *attendunt*:
- 17 **¶** Irata *vero* facies Jehovæ ad facientes malum, ut excindat e terra memoriam eorum.
- 18 **¶** Clamantes *illos* Jehova audit, et ex omnibus angustiis ipsorum eripit illos.
- 19 **¶** Propinquus *est* Jehova fractis animo: et contritos spiritu servat.
- 20 **¶** Multæ *sunt* afflictiones justis; sed ex omnibus illis eripit eum Jehova,
- 21 **¶** Servans omnia ossa ejus; unum ex illis non frangitur:
- 22 **¶** At morte afficit improbum afflictio, et qui oderunt justum, disperduntur.
- 23 **¶** Redimit Jehova animam servorum suorum: neque disperduntur ulli recipientes se ad eum.

XXXV.

Ode Davidis.

- 1 CONTENDE, Jehova, adversus contēdentes mecum; impugna impugnantes me.
- 2 Prehende scutum aut clypeum; ac surge in auxilium meum:
- 3 Et exsere hastam, et præclude persequentibus me; dic animæ meæ, Salus tua sum.
- 4 Pudefiant et rubore perfundantur quærentes animam meam: agantur retrorsum et erubescant machinantes malum meum.
- 5 Sint sicut gluma coram vento, angelo Jehovæ impellente:
- 6 Sit via eorum tenebrosa et lubricissima; et angelus Jehovæ persequator eos.
- 7 Quandoquidem immerito abscondunt mihi *in* fovea rete suum; immerito fodiunt *foveam* contra animam meam;
- 8 Eveniat ei vastatio nescienti, ut rete ipsius, quod abscondit, capiat eum: *ad* vastationem decidat in illam.
- 9 Sic anima mea exsultet in Jehova, gaudeat in salute ejus.
- 10 Omnia ossa mea dicant, Jehova, quis *est* par tibi, eripiens pauperem a valentiore eo? pauperem, inquam, et egentem a diripiente eum?
- 11 Insurgent testes injurii; quorum non sum conscius, *ea* repetunt a me:
- 12 Rependunt mihi malum pro bono, orbitatem animæ meæ:
- 13 Quamvis ego, ægotanibus illis, *utens pro* veste mea cilicio, affligerem jejuniō animam meam, et oratio mea in sinum meum rediret:
- 14 Tanquam *ad* proximum, tanquam *ad* fratrem

mihi indesinenter itarem; tanquam lugens matrem atratus curvarem me.

15 Quum vero claudico, lætantur congregantes se; congregant se apud me loripedes, ut non animadvertam; lacerant, ac non silent:

16 Inter hypocritas *facetos* sanniones faceti; frendentes contra me dentibus suis.

17 Domine, quamdiu aspicies? reduc animam meam a vastationibus eorum, a juvenibus leonibus unicam meam:

18 Celebrabo te in congregatione multa, in populo frequenti laudabo te.

19 Ne lætentur de me, qui mihi sunt inimici falsis de causis: qui oderunt me immerito, ne nictent oculo:

20 Non enim pacem loquuntur: sed contra quietos terræ res fraudulentissimas excogitant:

21 Et dilatant contra me os suum: dicentes, Euge, euge, videt oculos noster!

22 Vides, Jehova, ne sileas; Domine, ne longe absis a me.

23 Evigila et expergiscere ad iudicium meum: Deus mi et Domine mi, ad contentionem meam.

24 Judica me secundum justitiam tuam, Jehova, Deus mi; et ne lætentur de me.

25 Ne dicant cum animo suo, Euge anima nostra! ne dicant, Absorbuimus eum!

26 Pudefiant et erubescant simul gaudentes de malo meo: induantur pudore et ignominia, qui magnificant se contra me.

27 Cantabunt et lætabuntur, qui delectantur justitia mea, dicentque jugiter, Magnificetur Jehova, qui delectatur pace servi sui.

28 Et lingua mea enuntiabit justitiam tuam, toto die laudem tuam.

XXXVI.

Magistro symphonie *ode* servi Jehovæ, Davidis.

- 2 DICTUM defectionis ad improbum in intimo cordis mei *est*, coram ejus oculis non *esse* pavorem Dei:
- 3 Blandiri eum sibi in oculis suis, quum assequitur iniquitatem suam, *quæ* odio habenda *esset*.
- 4 Verba oris ejus vana et dolosa *sunt*: desinit adhibere intelligentiam ad benefaciendum.
- 5 Vanitatem cogitat in cubili suo; sistit sese in via non bona: malum non spernit.
- 6 Jehova, in cœlis *est* benignitas tua, fides tua usque ad superiores nubes:
- 7 Justitia tua instar montium maximorum: judicia tua *instar* abyssi magnæ, homines et jumenta conservas, Jehova.
- 8 Quam pretiosa *est* benignitas tua, Deus, quum filii hominum ad umbram alarum tuarum sese recipiunt.
- 9 Uberrime explentur pinguedine domus tuæ, et de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis:
- 10 Quandoquidem penes te *est* fons vitæ, in luce tua fruamur luce.
- 11 Protende benignitatem tuam erga cognoscentes te, et justitiam tuam erga rectos animo.
- 12 Ne aggrediatur me pes superbi, et manus improborum ne inducat me ad aberrandum *eo*,
- 13 Ubi cadunt operarii iniquitatis; ita impelluntur, ut non possint surgere.

XXXVII.

Ode Davidis.

- 1 & Ne accendaris ira propter maleficos; ne inideas facientibus iniquitatem.

- 2 Nam sicut fœnum cito succidentur, et sicut viriditas teneræ herbæ decident.
- 3 **□** Confide in Jehova et fac bonum: inhabita terram et pascere fide:
- 4 Et oblecta te in Jehova, qui dabit tibi petitiones animi tui.
- 5 **²** Devolve super Jehovam viam tuam et confide in eo; nam ipse efficiet:
- 6 Proferens tanquam lucem justitiam tuam, et jus tuum tanquam meridiem.
- 7 **⁴** Acquiesce Jehovæ, et indesinenter expecta eum: ne accendaris ira propter prosperantem via sua, propter virum efficientem cogitata.
- 8 **⁴** Absiste ab ira, et derelinque excandescentiam; ne accendaris ira, saltem ad malefaciendum.
- 9 Nam malefici excidentur; expectantes vero Jehovam, ipsi hæreditario jure possidebunt terram.
- 10 **⁴** Et adhuc paululum, plane non *erit* improbus; quod si consideraveris locum ejus, non exstabit:
- 11 Mansueti vero hæreditario jure possidebunt terram, et oblectabunt se in multitudine pacis.
- 12 **⁴** Cogitante improbo contra justum, et frendente adversus eum dentibus suis,
- 13 Dominus ridet eum, quia videt advenire diem suum.
- 14 **⁴** Gladium eduxerint improbi, et adduxerint arcum suum, ad dejiciendum pauperem et egentem, ad mactandum rectos via:
- 15 Gladius eorum intrabit in cor eorum, et arcus eorum confringentur.
- 16 **□** Bonum *est* parum cuique justo, plus quam copia *sua* improbis multis.
- 17 Nam brachia improborum confringuntur: sustinet autem justos Jehova.

- 18 ¹ Agnoscit Jehova tempora integrorum; adeo ut possessio eorum in seculum futura sit,
19 Non erubescant tempore malo, sed diebus famis saturentur:
20 ² Dum improbi pereunt et inimici Jehovæ, ut, quæ pretiosa sunt in agnis: *ut hæc* consumuntur in fumum *abeuntia*, consumuntur *isti*.
21 ³ Mutuo accipit improbus, sed non potest redde-
dere: justus vero gratiam facit et donat:
22 Quia benedicti ab illo hæreditario jure possident terram: maledicti vero ab illo exscinduntur.
23 ⁴ A Jehova gressus viri statuuntur, cujus delectatur via.
24 Quum cadit, non dejicitur; quia Jehova sustentat manum ejus.
25 ⁵ Puer fui, etiam consenui: sed non vidi justum ita derelictum, ut semen ejus quæreret panem.
26 Toto die gratiam facit et mutuatur, et semen ejus in benedictione *est*.
27 ⁶ Recede a malo et fac bonum: sic habita in seculum:
28 Nam Jehova amat jus, neque derelinquit, quos benevolentia prosequitur: in seculum conservatur, semen vero improborum exscinditur.
29 Justi hæreditario jure possidebunt terram, et habitabunt in æternum super eam.
30 ⁷ Justi *cujus* os meditatur sapientiam, et cujus lingua loquitur jus,
31 In cujus animo *est* lex Dei sui, *pes ejus* non labascit gressibus suis.
32 ⁸ Speculante improbo adversus justum et quærente morte illum afficere,
33 Jehova non derelinquit illum in manu istius: neque sinit eum condemnari, quum judicatur.
34 ⁹ Attende ad Jehovam et observa viam ejus:

tum extollet te ad possidendum terram jure hæreditario; excidium improborum videbis.

35 ¶ Vidi improbum magna vi erumpentem, et sese explicantem tanquam arbor indigena virens:

36 Deinde præteriit, et ecce, non *erat* amplius: nam quæsiui eum, sed non inventus est.

37 ¶ Observa integrum et aspice rectum, finem *istius* viri esse pacem:

38 Defectores vero perdi pariter, finem improborum excindi.

39 ¶ Nam salus justorum a Jehova *est*, robur eorum tempore angustiae:

40 Et adjuvat eos Jehova ac liberat eos: liberat eos ab improbis, ac servat eos, quia recipiunt se ad ipsum.

XXXVIII.

Psalmus Davidis ad recordandum.

2 JEHOVA, ne in fervente ira tua arguas me, aut in excandescencia tua castiges me.

3 Nam sagittæ tuæ *alte* infixæ sunt in me, et demisisti super me manum tuam.

4 Non *est* integritas in carne mea, propter detestationem tuam: non *est* pax in ossibus meis, propter peccatum meum.

5 Nam iniquitates meæ transcendunt caput meum, ut onus grave; graviores sunt, quam perferre queam.

6 Putruerunt, contabuerunt tumices mei, propter stultitiam meam.

7 Distorqueor, incurvor pervalde; tota die atratus pergo:

8 Quia ilia mea plena sunt vilitate, adeo ut non *sit* ulla integritas in carne mea.

9 Debilitatus et attritus sum pervalde, rugio præ fremitu animi mei.

- 10 Domine, coram te *est* totum desiderium meum;
et suspirium meum a te non est absconditum.
- 11 Cor meum palpitāt, derelinquit me virtus mea;
et lux oculorum meorum, etiam ipsi non *sunt*
penes me.
- 12 Amici mei et proximi mei e regione plagæ meæ
subsistunt, et propinqui mei e longinquo absistunt.
- 13 Tendunt vero laqueos, qui quærent animam
meam: et qui requirunt malum meum, loquuntur
ærumnas, et dolos toto die meditantur.
- 14 Quos ego tanquam surdus non audio, et tan-
quam mutus non aperiens os suum;
- 15 Sed sum tanquam is, qui non audit, et in cujus
ore non *sunt* argumenta:
- 16 Quia te, Jehova, exspecto; *ut* tu exaudias, Do-
mine, Deus mi:
- 17 Quia dico, *Videndum*, ut non lætentur de me;
nutante pede meo, contra me magnificent se:
- 18 Si ego ad claudicationem comparatus *fuero*, et
dolor meus *fuerit* coram me jugiter.
- 19 Quandoquidem iniquitatem meam indico, solici-
tus sum de peccato meo.
- 20 Inimici autem mei vivi roborantur; et multipli-
cantur, qui oderunt me falsis de causis;
- 21 Et reddentes malum pro bono adversantur mihi;
eo quod sector bonum.
- 22 Ne derelinquas me, Jehova: Deus mi, ne
longe absis a me.
- 23 Festina ad auxilium meum, Domine, salus mea!

XXXIX.

Magistro symphonie Jeduthuni psalmus Davidis.

- 2 DIXERAM, Observabo vias meas, ne peccem
lingua mea: servabo circa os meum capistrum,
tantisper dum improbus *erit* coram me.

- 3 Obmutueram taciturnus, silebam *etiam* a bono: sed dolor meus incrudescibat.
- 4 Incalescente vero animo meo in me, in meditatione mea exardescente igne, locutus sum lingua mea, *dicens*:
- 5 Fac ut experiar, Jehova, finem meum; mensura dierum meorum, quid sit; experiar, quam durabilis sum.
- 6 Ecce, palmares disposuisti dies meos, et tempus meum ut nihil *est* coram te: profecto, omnimoda vanitas omnis homo *est*, *quantumvis* constitutus maxime.
- 7 Profecto, per imaginem præterit vir; profecto, *in* vanum perstrepunt: congregat *quispiam*, sed nescit, quis recepturus sit ea.
- 8 Sed jam quid exspecto, Domine? spes mea in te est.
- 9 Ab omnibus defectionibus meis eripe me, probro stultis ne exponas me.
- 10 Obmutesco, non aperio os meum, quia tu fecisti.
- 11 Remove a me plagam tuam; a conflictu manus tuæ ego deficio.
- 12 Si reprehensionibus pro iniquitate castigares quempiam, dissolveres sicut tineam, quod inest ei desiderabile: profecto, vanitas *est* omnis homo maxime.
- 13 Audi orationem meam, Jehova, et clamorem meum; aurem adverte ad lacrymas meas, ne surdum agas: quia peregrinus sum coram te, inquilinus ut omnes majores mei.
- 14 Desiste a me, ut recreem me; quum nondum abeo, ut non amplius *sim*.

XL.

Magistro symphonie Davidis psalmus.

- 2 CONSTANTER expectavi Jehovam, qui inclinans ad me audivit vociferationem meam:
3 Et educens me e lacu tumultuoso, e luto cœnoso, statuit super petram pedes meos, firmavit gressus meos:
4 Denique indidit ori meo canticum novum, laudationem Deo nostro: videntes multi reverbuntur, et confident in Jehova, *dicentes*,
5 Beatus *est* vir ille, qui ponit in Jehova fiduciam suam, neque respicit ad superbos aut declinantes *ad* mendacium.
6 Tu multa præstas, Jehova, Deus mi, mirabilia tua et cogitationes tuas erga nos: nemo recensendis *iis* par tibi; *si* indicabo et eloquar, numerosiora sunt, quam ut enarremus.
7 Sacrificio, *inquis*, et munere non delectatus es, aures perfodisti mihi: holocaustum et oblationem pro peccato non expetivisti.
8 Tum dixi, Ecce, venio: in volumine libri scriptum est de me.
9 Facere voluntatem tuam, Deus mi, delector: et lex tua *est* in visceribus meis.
10 Prædico justitiam in congregatione multa: ecce, labia mea non cohibeo; Jehova, tu nosti.
11 Justitiam tuam non tego in animo meo, fidem tuam et salutem tuam dico: non celo benignitatem tuam et veritatem tuam congregationi multæ.
12 Tu, Jehova, ne cohibeas miserationes tuas a me: benignitas tua et veritas tua jugiter custodiant me.

- 13 Nam circumdantia invadunt me mala innumera-
bilia: assequuntur me iniquitates meæ, adeo ut
nequeam dispicere; numerosiores sunt capillis
capitis mei; animus etiam meus derelinquit me.
- 14 Velis, Jehova, eripere me; Jehova ad auxi-
lium meum festina.
- 15 Pudefiant et rubore perfundantur pariter quæ-
rentes animam meam ad perdendum eam: agan-
tur retrorsum et ignominia afficiantur, qui dele-
ctantur malo meo.
- 16 Desolentur pro mercede pudoris sui, qui dicunt
de me, Euge, euge!
- 17 Gaudeant et lætentur in te omnes quærentes te;
ac dicant jugiter, Magnificetur Jehova, amantes
salutis tuæ.
- 18 Sum quidem pauper et egens, sed Dominus
cogitat de me: auxilium meum et liberator meus
es, Deus mi, ne tardes.

XLI.

Magistro symphonici psalmus Davidis.

- 2 BEATUS, qui attendit ad attenuatum, *dicens*,
Tempore mali liberabit eum Jehova:
- 3 Jehova servabit eum et vitæ restituet eum,
beatus reddetur in terra; item, ne tradas eum
desiderio inimicorum ejus.
- 4 Jehova sustentet eum, *decumbentem* in sponda
languoris: totum cubatum ejus ex morbo ejus
mutaveris.
- 5 Me dicente, Jehova, gratiam fac mihi: sana
animam meam, quia peccavi tibi:
- 6 Inimici mei dicebant malum de me, Quando
morietur, et perierit nomen ejus?

- 7 Quod si quis veniebat ut inviseret, mendacium loquebatur animus ejus, congregabat iniquitatem sibi: egressus foras eloquebatur.
- 8 Simul contra me mussitabant omnes osiores mei: contra me cogitabant, quod *esset* malo mihi, *dicentes*:
- 9 Res nequissima tenaciter inhæret ei; et quod decumbit, non amplius exsurget.
- 10 Etiam vir colens pacem mecum, in quo confidebam, comedens cibum meum, sustulit adversum me calcem.
- 11 At tu, Jehova, gratiam fac mihi, et exsuscita me, ut rependam illis.
- 12 Hac re expertus fuero, quod delectaris me, quum non clanget inimicus meus de me;
- 13 Sed me, me, *inquam*, sustentabis in integritate mea, et restitues me coram te in seculum.
- 14 Benedictus Jehova, Deus Israelis, a seculo usque in seculum. Amen, iterum Amen.
-

SECUNDUS LIBER PSALMORUM.

XLII.

Magistro symphonie in posteris Korahi *ode* didascalica.

- 2 SICUT cervus glocitat, *aspirans* ad alveos aquarum: sic anima mea glocitat, *aspirans* ad te, Deus:
- 3 Sitiens *est* anima mea Dei, *Dei* fortis viventis, *dicens*, Quando accedam, ut appaream *in* conspectu Dei?

- 4 Sunt mihi lacrymæ meæ cibo interdiu et noctu, dum dicitur mihi quotidie, Ubi *est* Deus tuus?
- 5 Hæc recordans effundo in me animam meam: me fuisse transiturum in turba, gressurum *cum* illis ad domum usque Dei cum voce cantus et laudationis, multitudine feriante.
- 6 Quid dejicis te, anima mea, et perstrepis in me? spera in Deo; nam adhuc celebraturus sum eum *et* salutem omnimodam faciei ejus.
- 7 Deus mi, in me anima mea dejicit se; propterea recordor tui e terra Jordanis et Hermonitarum, e monte exiguo.
- 8 Abyssus abyssum inclamat ad sonum emissariorum tuorum, omnes irrumpentes fluctus tui et undæ tuæ super me transeunt;
- 9 Interdiu *tamen* amandaturus est Jehova benignitatem suam, et noctu canticum suum ad me; oratione mea ad *Deum* fortem vitæ meæ *perstabo*.
- 10 Dicam *Deo* forti, petræ meæ, Quare oblivisceris mei? quare atratus incedo propter oppressionem inimici?
- 11 Sicca invadunt ossa mea, probro afficientes me hostes mei, dum dicunt mihi quotidie, Ubi *est* Deus tuus?
- 12 Quid dejicis te, anima mea, et quid perstrepis in me? spera in Deo! nam adhuc celebraturus sum eum, omnimodam salutem faciei meæ et Deum meum.
- I XLIII. VINDICA me, Deus, et suscipe contentionem meam; a gente non benigna, a viro doloso et iniquo libera me.

- 2 Nam tu es Deus roboris mei; quare rejiceres me? quare atratus indesinenter irem propter oppressionem inimici?
- 3 Mitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsæ deducant me: adducant me in montem sanctitatis tuæ et in tabernacula tua:
- 4 Ut accedens ad altare Dei, ad *Deum* fortem, auctorem lætissimæ exultationis meæ, celebrem te cithara, o Deus, Deus mi.
- 5 Quid dejicis te, anima mea, et quid perstrepis in me? spera in Deo! nam adhuc celebraturus sum eum, omnimodam salutem faciei meæ, et Deum meum.

XLIV.

Magistro symphonïæ in posteris Korahi *ode* didascalica.

- 2 O Deus, auribus nostris audivimus, majores nostri narraverunt nobis, *quod* opus operatus sis temporibus eorum, temporibus priscis;
- 3 Te manu tua gentes expulisse, et plantasse ipsos: malo affecisse nationes, et propagasse ipsos.
- 4 Non enim gladio suo hæreditario jure possederunt terram, et brachium eorum non dedit salutem eis: sed dextera tua, brachiumque tuum; et lux faciei tuæ; quia eras benevolus eis.
- 5 Iu ispe es rex meus, o Deus: præcipe omnimodam salutem Jacobi.
- 6 Per te hostes nostros cornu feriemus: per nomen tuum conculcabitur insurgentes in nos;
- 7 Nam arcui meo non confido; aut gladius meus non est servaturus me.

- 8 Quum servaveris nos ab hostibus nostris, et osores nostros pudefeceris;
- 9 Deum laudantes toto die, nomen tuum in seculum celebrabimus summe.
- 10 Atqui rejecisti et ignominia affecisti nos, quod non processeris cum exercitibus nostris.
- 11 Fecisti, ut retro cederemus ab hoste; et osores nostri diripiunt sibi.
- 12 Tradidisti nos ut pecudes cibarias, et in gentes sparsisti nos.
- 13 Vendidisti populum tuum pro re vili, et non auxisti *rem* pretiis eorum.
- 14 Exposuisti nos probro vicinis nostris, sannæ et ludificationi circumstantibus nos.
- 15 Posuisti nos parabolæ argumentum in gentibus, agitationis capitis in nationibus.
- 16 Toto die ignominia mea obversatur mihi, et pudor faciei meæ obtegit me;
- 17 Propter vocem probro afficientis et blasphemi; propter inimicum et ultorem sui.
- 18 Totum hoc evenit nobis, nec tamen obliviscimur tui, neque mendaciter agimus contra fœdus tuum.
- 19 Non agitur retrorsum animus noster, aut declinat gressus noster a semita tua:
- 20 Quamvis contriveris nos *conjectos* in locum cetorum, et obtexeris nos lethali umbra.
- 21 Si oblitus fuisset nomen Dei nostri, aut expandissemus manus nostras ad *Deum* fortem extraneum:
- 22 Nonne Deus pervestigasset istud? quum ipse cognoscat abscondita animi.
- 23 Sed propter te occidimur quotidie; æstimamur ut pecudes mactandæ.

- 24 Evigila! quare dormires, Domine? expergiscere, ne rejicias in æternum!
- 25 Quare faciem tuam absconderes? oblivisceris afflictionis nostræ et oppressionis nostræ?
- 26 Nam dejecta est in pulverem vita nostra, adhæret terræ venter noster.
- 27 Surge ad auxilium nobis, et redime nos propter benignitatem tuam.

XLV.

Magistro symphoniæ in posteris Korahi ad hexachorda
didascalicum canticum amicarum.

- 2 EBULLIT animus meus verbum bonum; dicturus sum ego poemata mea de rege; lingua mea *et stylo ut* scribe promptus.
- 3 Multo pulchrior effectus es filiis hominum: infusa est gratia labiis tuis; propterea benedixit tibi Deus in seculum.
- 4 Accinge gladium tuum super femur, o robustissime; *gladium* gloriæ tuæ et decoris tui:
- 5 Et decore tuo prospere equita cum verbo veritatis, et proloquere justitiam: et ede documenta tui terribilibus *gestis* dexteræ tuæ.
- 6 Sagittis tuis acutis populi sub te procident, ex animo *procident* inimici regis.
- 7 Solium tuum, o Deus, in seculum et sempiternum, sceptrum rectum *est* sceptrum regni tui.
- 8 Dilexisti justitiam et odisti improbitatem, propterea unxit te, o Deus, Deus tuus oleo gaudii præ consortibus tuis.
- 9 Myrrha et santalis casiaque omnia vestimenta tua *prodeuntis* e templis eburneis præ iis, qui lætificant te.

- 10 Filiae regum inter charas tuas: collocata est
conjux ad dexteram tuam cum insigni auro
Ophirio.
- 11 Audi, filia, ac vide et inclina aurem tuam;
obliviscereque populi tui et domus paternæ
tuæ:
- 12 Et delectabitur rex pulchritudine tua: quum-
que sit Dominus tuus, incurva te *habens hono-
rem* ei.
- 13 Tunc filiae Tyri cum munere faciem tuam preca-
buntur, divites in populo.
- 14 Tota honorata filia regis intro, fundis aureis
vestita.
- 15 Cum phrygianis deportatur ad regem; virgines
post eam, amicæ ejus, adducuntur ad te:
- 16 Deportantur cum summa lætitia et exultatione,
intran in palatium regis.
- 17 Loco parentum tuorum erunt filii tui: præ-
pones eos principes in tota terra.
- 18 Memorabo nomen tuum in unaquaque ætate;
idcirco populi celebrabunt te in seculum et
sempiternum.

XLVI.

Magistro symphonie in posteris Korahi ad acutam
symphoniam canticum.

- 2 DEUS nobis *est* receptus et robur, auxilium in
angustiis præsentissimum.
- 3 Idcirco non timeremus, si commutaret terra *lo-
cum*, aut si dimoverentur montes *depulsi* in
ima maria:
- 4 Fremerent, lutosæ fierent aquæ cujusque illo-

- rum; commoverentur montes elatione ejus maxime.
- 5 Flumen, rivi ejus, lætificant civitatem Dei; sanctissimum *locum*, habitacula excelsi.
- 6 Deus *est* in medio illius, non dimovetur *illa*; adjuvat illam Deus ab appetente matutino.
- 7 Frementibus gentibus, moventibus se regnis, edit vocem suam; liquefit terra.
- 8 Jehova exercituum nobiscum *est*, locus editus *est* nobis Deus Jacobi maxime.
- 9 Agite, videte opera Jehovæ, ut disponat desolationes in terra:
- 10 Faciens, ut cessent bella usque ad extremitatem terræ; arcum perfringat, et truncet hastam, currus comburat igne;
- 11 *Dicens*, desistite et agnoscite me esse Deum, me exaltatum iri in gentibus, exaltatum iri in terra.
- 12 Jehova exercituum nobiscum *est*, locus editus nobis Deus Jacobi maxime.

XLVII.

Magistro symphonie in posteris Korahi psalmus.

- 2 OMNES populi, plaudite manu, clangite Deo voce canora.
- 3 Nam Jehova excelsus reverendus, rex magnus *est* super totam terram.
- 4 Cogit in caulam populos, in locum nostrum, nationesque in locum pedum nostrorum.
- 5 Seligit nobis possessionem nostram, excellentiam Jacobi, quem diligit maxime.
- 6 Ascendit Deus cum clangore, Jehova cum sono buccinæ.

- 7 Psallite Deo, psallite: psallite regi nostro, psallite.
- 8 Nam rex totius terræ *est* Deus: psallite *psalmo* didascalico.
- 9 Regnat Deus super gentes, Deus insidet solio sanctitatis suæ.
- 10 Voluntarii populorum congregantur, populus Dei Abrahami, quia Dei *sunt* protectiones terræ; valde excelsus est.

XLVIII.

Canticum *et* psalmus posteris Korahi.

- 2 MAGNUS *est* Jehova et laudatus valde, in civitate Dei nostri, monte sanctitatis ejus:
- 3 Ornamento tractus, gaudio totius terræ monte Zionis, lateribus aquilonis, urbe regis magni.
- 4 Deus in palatiis ejus agnoscitur pro loco edito.
- 5 Nam ecce, reges convenerunt, progressi sunt pariter.
- 6 Ipsi viderunt, similiter admirati sunt, conturbati sunt, accelerarunt *abitus*.
- 7 Tremorprehendit eos illic, dolor ut parturientis.
- 8 Euro perfringis naves Oceani.
- 9 Quemadmodum audiveramus, ita vidimus in civitate Jehovæ exercituum, in civitate Dei nostri: Deus stabilit eam in seculum usque maxime.
- 10 Cogitamus, o Deus, benignitatem tuam in medio templo tuo:
- 11 Sicut nomen tuum, o Deus, sic laudem tuam *esse* usque ad extremitates terræ; justitiæ plenam esse dexteram tuam.

- 12 Lætetur mons Zionis, exsultent filiae Judæ propter judicia tua.
13 Circuite Zionem et cingite eam, numerate turres ejus:
14 Apponite animum vestrum ad præmunitionem; attollite *oculos* ad palatia ejus, ut enarretis generationi posteræ.
15 Nam hic Deus Deus noster *est* in seculum et sempiternum; hic nos reducturus est ad mortem usque.

XLIX.

Magistro symphonie in posteris Korahi psalmus.

- 2 AUDITE hæc, omnes populi: auribus percipite, omnes habitatores mundi,
3 Tum nati *plebejo* homine, tum nati *præstante* viro: simul dives et egens.
4 Os meum locuturum est variam sapientiam, et meditatio animi mei multiplicem prudentiam.
5 Inclinans ad parabolam aurem meam, pandam in cithara ænigma meum.
6 Cur timerem temporibus mali, *ut* iniquitas vestigiorum meorum circumdet me?
7 Eorum qui confidunt in opulentia sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur,
8 Fratrem nullo modo redimere potest quisquam, non dare Deo redemturam ejus:
9 (Est enim cara redemptio vitæ eorum, imo cessat in seculum:)
10 Ut vivat adhuc in æternum, non experiatur corruptionem.
11 Nam videt sapientes mori; pariter stultum et brutum perire, ac relinquere aliis opulentiam suam.

- 12 *Animus fuit* illis domos suas in seculum, habitacula sua in quamque generationem *statui, quum ea* vocarent de nominibus suis per terras.
- 13 Neque tamen homo, *qui* in honore *est*, commoraturus est: similis fit jumentis, *quæ* intereunt.
- 14 *Hæc quum sit* via istorum, expectatio *est* eis; et posteri eorum os eorum approbant maxime.
- 15 Tanquam pecudes, in sepulchro dispositos mors depascet eos: donec dominantur eis recti illo mane, et formam eorum consumat infernus *receptam* ex habitaculo ejus.
- 16 Enimvero Deus redempturus est animam meam a sepulchro, quum recepturus me sit potentissime.
- 17 Ne timeto, quum dives evaserit quispiam; quum aucta fuerit gloria domestica ejus.
- 18 Non enim in morte sua assumpturus est illius quicquam, non descensura est post eum gloria ejus.
- 19 Quum animæ suæ in vita sua benedixerit, atque celebraverint te, quod benefacias tibi:
- 20 Ut perveniat usque ad ætatem majorum ejus; in æternum *tamen* non sunt fruituri luce.
- 21 Homo, *qui est* in pretio neque est intelligens, similis fit jumentis, *quæ* intereunt.

L.

Psalmus Asapho.

- 1 *DEUS* fortis, Deus Jehova eloquitur et in-
clamat terram, ab ortu solis usque ad occasum
ejus.
- 2 E Zione, perfectissimæ pulchritudinis *loco*, Deus
illucescit.

- 3 (Veniat Deus noster, et ne surdum agat!) Ignis ante ipsum consumit, et circa ipsum procellosus valde.
- 4 Inclamat cœlos superne, et terram *inclamat*, jus populo suo dicturus:
- 5 Congregate mihi, quos benignitate prosecutus sum, qui icerunt fœdus mecum per sacrificium;
- 6 Quando indicarunt cœli justitiam ejus, Deum judicem esse summe.
- 7 Audi, popule mi, *inquit*, et eloquar: Israel; et contestabor te: Deus, Deus tuus sim.
- 8 Non propter sacrificia tua arguam te, ut holocausta tua sint coram me jugiter.
- 9 Non accipiam e domo tua juvenicum, e caulis tuis hircos:
- 10 Quum mea sit omnis bestia silvestris, jumenta in montibus mille,
- 11 Agnoscam omnes volucres montium, denique animalia agrestia sint penes me.
- 12 Si esurirem, non dicerem tibi: nam mea *est* terra habitabilis, et plenitudo ejus.
- 13 An vescor carne robustorum *juvencorum*, aut sanguinem hircorum bibo?
- 14 Sacrifica Deo laudem, et redde excelso vota tua:
- 15 Atque invoca me tempore angustiae; eripiam te, ut honore afficias me.
- 16 Improbo autem dicit Deus, Quid tua, ut enarres decreta mea, et assumes fœdum meum in ore tuo:
- 17 Quum tu oderis disciplinam, et projeceris verba mea post te?
- 18 Simulac vides furem, acquiescis ei; et cum adulteris *est* portio tua:

- 19 Os tuum adhibes ad malum, et lingua tua concinnas dolum:
- 20 Sedens fratri tuo obloqueris: in filium matris tuæ edis infamiam.
- 21 Hæc te faciente, quia agebam surdum, cogitas me prorsus esse similem tui: arguo te, et dissero in oculis tuis.
- 22 Animadvertite jam hoc, obliviosi Dei, ne rapiam, nec sit, qui eripiat.
- 23 Qui sacrificat laudem, honore afficit me: et qui componit viam, faciam, ut is fruatur salute Dei.

LI.

Magistro symphonie psalmus Davidis,
quum venisset ad eum Nathan propheta, postquam
congressus fuisset cum Bath-Seba.

- 3 GRATIAM fac mihi, o Deus, secundum benignitatem tuam; secundum amplitudinem miserationum tuarum, dele defectiones meas.
- 4 Multum ablue me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me:
- 5 Nam defectiones meas ego agnosco, et peccatum meum observatur mihi jugiter.
- 6 Tibi, tibi soli peccaveram, et quod malum *vide-tur* in oculis tuis, feceram: *agnosco*, ut iustificeris in sermonibus tuis, purus sis, quando tu iudicas.
- 7 En, in iniquitate formatus sum, et in peccato fovit me mater mea.
- 8 En, veritate delectaris in præcordiis, et in occulto sapientiam notam feceras mihi.
- 9 Expiato me hyssopo, ut mundus sim: abluito me, ut præ nive albescam:
- 10 Facito, ut audiam gaudium et lætitiā: exsultent ossa, *quæ* contriveris.

- 11 Absconde iratam faciem tuam a peccatis meis,
et omnes iniquitates meas dele.
- 12 Animum mundum crea mihi, Deus, et spiritum
firmum renova intra me.
- 13 Ne abjicias me a facie tua, et spiritum sanctum
tuum ne recipias a me.
- 14 Redde mihi gaudium salutis tuæ, et spiritu in-
genuitatis sustentato me.
- 15 Docebo defectores vias tuas, ut peccatores ad
te convertantur.
- 16 Libera me a sanguine, o Deus, Deus salutis
meæ: canet lingua mea justitiam tuam.
- 17 Domine, labia mea aperias, et os meum annun-
ciabit laudem tuam.
- 18 Nam non delectaris sacrificio, ut dem: holocau-
stum non vis.
- 19 Sacrificia Dei *sunt* spiritus fractus; animum fra-
ctum et contritum, o Deus, non spernis.
- 20 Benefac pro bona voluntate tua Zioni, ædifica
muros Hierosolymæ.
- 21 Tunc delectaberis sacrificiis justitiæ, holocausto
et prorsus consumendo: tunc *pri* offerent juven-
cos super altare tuum.

LII.

Magistro symphonie *ode* didascalica Davidis,
quum veniens Doeg Adomæus nunciasset Sauli et
dixisset ei, Adivit David domum Ahimeleci.

- 3 QUID te jactas in malo, o potens? benignitas
Dei fortis omni die *perdurat*.
- 4 Ærumnas excogitatas depromis lingua tua; si-
milis *est* novaculæ acutæ, o artifex doli.
- 5 Diligis malum potius quam bonum, mendacium
quam loqui justitiam, *diligis* vehementissime.

- 6 Dilexisti omnia verba perniciosa, linguam dolosam.
- 7 Etiam, *Deus* fortis demoliturus est te in æternum, abripiet te, et avellet te a tentorio, eradicabitque te e terra viventium vehementissime.
- 8 Quod videntes justī, revereantur; et de isto ridebunt, *dicentes*:
- 9 Ecce virum illum, qui non proposuerat Deum robur suum; sed confidebat amplitudini divitarum suarum, roborabat se in substantia sua.
- 10 Ego vero ut oliva virens in domo Dei; confido benignitati Dei in seculum et sempiternum.
- 11 Celebrabo te in seculum, quod feceris *ista*: et exspectabo nomen tuum, quia bonus *es* coram eis, quos benigne prosequeris.

LIII.

Magistro symphonie ad pneumaticum instrumentum
ode didascalica Davidis.

- 2 DICIT stultus cum animo suo, Non *est* Deus! corrumpunt, et abominandam perpetrant iniquitatem: non *est* qui faciat bonum.
- 3 Deus e cœlis prospectat super filios hominum, ut videat an sit ullus, qui intelligat, qui requirat Deum.
- 4 Quicumque est, retrocessit, simul putidi facti sunt: non *est* qui faciat bonum, non *est* vel unus.
- 5 An non sibi sunt conscii, qui dant operam iniquitati, quod exedentes populum meum edunt panem; Deum non invocant?

- 6 Ibi expavescunt pavore, *ubi non est* pavor: quia Deus dissipat ossa *cujusque* castra habentis contra te: pudefacis, quia Deus spernit eos.
- 7 O si quis det e Zione omnimodam salutem Israelis: reducente Jehova reducem turbam populi sui, exsultabit Jacob, lætabitur Israel.

LIV.

Magistro symphonie fidium *ode* didascalica Davidis,
quum venientes Ziphæi dixissent Sauli, An non David
latitat apud nos?

- 3 DEUS, propter nomen tuum conserva me et fortitudine tua causam meam age.
- 4 Deus, audi orationem meam, aurem adverte ad sermones oris mei.
- 5 Nam exteri insurgunt in me, et violenti quærunt vitam meam: non proponunt Deum sibi maxime.
- 6 Ecce, Deus adjuvat me: Dominus *est* inter eos, qui sustentant vitam meam.
- 7 Redde istud malum observatoribus meis, per veritatem tuam succide eos.
- 8 Liberaliter sabrificabo tibi; celebrabo nomen tuum, Jehova, quia bonum est,
- 9 Quia ab omni angustia liberat me, et inimicos meos aspicit oculus meus.

LV.

Magistro symphonie fidium *ode* didascalica Davidis.

- 2 AURIBUS percipe, o Deus orationem meam, et ne abscondas te a deprecatione mea:
- 3 Attende ad me, et exaudi me; plango in meditatione mea et perstrepo;
- 4 Propter vocem inimici, propter angorem improbi: quia avertunt in me iniquitatem, et irati intestino odio prosequuntur me.

- 5 Animus meus dolet in me, et terrores mortis
accidunt mihi:
- 6 Timor et tremor invadit me, et obtegit me hor-
ror:
- 7 Adeo ut dicam, *O si* quis daret mihi alam
velut columbæ! evolarem, ubi habitare possem!
- 8 Ecce, quam longissime evagarer, commoraturus
in deserto, vehementissime.
- 9 Maturarem effugium mihi a vento rapidissimo,
a turbine.
- 10 Perde, Domine, divide linguam eorum; nam
video violentiam et contentionem in civitate:
- 11 Interdiu et noctu circumdant eam *versantes* in
muris ejus; iniquitasque et perversitas in medio
ejus *sunt*:
- 12 *Ærumnæ sunt* in medio ejus, et non recedunt
a platea ejus fraus et dolus.
- 13 Non enim inimicus probro afficit me; quod
ferrem: non osor meus adversum me se attollit;
a quo me absconderem:
- 14 Sed tu, mortalis, par mihi, dux meus et fami-
liaris meus,
- 15 Qui pariter dulce inibamus consilium, in domum
Dei ibamus cum frequentia.
- 16 Aget exactorem mors invadens eos, descen-
dent *in* sepulchrum vivi: nam mala *sunt* in
commoratione ipsorum, in medio ipsorum.
- 17 Ego Deum inclamabo, et Jehova servabit me.
- 18 Vespere et mane atque meridie meditabor et
perstrepam, donec audiverit vocem meam:
- 19 Redemit vitam meam, ne belligerent in me, *collo-
cans* in pace: quando *multis copiis belligera-
bant*, fuerunt penes me.
- 20 Audiet Deus fortis, et contestabitur istos, ut

permanet in æternum, vehementissime; quibus non *sunt* mutationes, neque timent Deum:

21 *Quorum quisque* extendit manus suas in colentes pacem secum, profanat fœdus suum:

22 Cujus blanda sunt butyrina verba, dum bellum *insidet* animo ejus: cujus molliora *quidem* verba oleo, sed stricti gladii sunt.

23 Rejice in Jehovam, *quicquid* dat tibi, et ipse sustentabit te: non permittet unquam justo, ut dimoveatur.

24 Tu itaque, Deus, detrudes istos in puteum corruptionis: homines sanguinarii et dolosi non perducent ad dimidium dies suos: ego vero confidam tibi.

LVI.

Magistro symphoniz de *anima* vim patiente manipulo longinquorum insignis *ode* Davidis, quum prehenderent eum Philistæi gathi.

2 GRATIAM fac mihi, Deus, nam anhelus persequitur me mortalis: toto die oppugnator opprimit me.

3 *Nam* anhelant observatores mei toto die, quia multi *sunt*: e sublimi propugnatores *adsunt* mihi.

4 *Qua* die timebo, ego in te confidam.

5 In Deo laudabo verbum ejus; in Deo confidam, non timebo: quid faciat caro mihi?

6 Toto die rebus meis dolorem afferunt, contra me omnes cogitationes eorum ad malum *spectant*.

7 Conveniunt, delitescunt ipsi: vestigia mea observant, ut qui expetunt vitam meam.

8 Pro iniquitate parito eis, in ira populos dejice, Deus.

- 9 Tu vagationes meas in numerato habes: pone *quamque* lacrymam meam in utre tuo; an non *essent* in numerato tibi?
- 10 Tunc revertentur inimici mei retrorsum, qua die clamabo; hoc scio, Deum *affore mihi*.
- 11 In Deo laudabo verbum, in Jehova laudabo verbum.
- 12 In Deo confido, non timebo: quid faciat homo mihi?
- 13 Mecum *erunt*, o Deus, vota tua; persolvam gratiarum actiones tibi.
- 14 Nam eripis animam meam a morte; annon pedes meos a lapsu *eriperes*? ut indesinenter ambulem coram Deo in luce hujus vitæ.

LVII.

Magistro symphoniam, ne perdas, Davidis ode insignis:
quum fugeret metu Saulis speluncam.

- 2 GRATIAM fac mihi, Deus, gratiam fac mihi; nam ad te se recepit anima mea, et ad umbram alarum tuarum me recepturus sum, donec transiverint æumnæ.
- 3 Invocabo Deum excelsum, *Deum* fortem perficientem erga me.
- 4 Mittet e cœlis, ut servet me, afficiens eum probro, qui me anhelus persequitur vehementissime: mittet Deus benignitatem suam et veritatem suam.
- 5 Ego inter immanes leones *sum*, jaceo *inter* incendiarios; *inter* homines, quorum dentes hastæ et sagittæ *sunt*, et quorum lingua *est* gladius acutus.
- 6 Exaltare supra cœlos, o Deus; super totam terram gloria tua.

- 7 Recte aptaverant gressibus meis, curvaverat animam meam; *quam* foderant ante me fossam, cadunt in eam vehementissime.
- 8 Erecto animo meo, o Deus, erecto animo meo canam et psallam, *dicens*:
- 9 Evigila, gloria mea: evigila, nablium et cithara: expergefaciam *inde ab* aurora;
- 10 Celebrabo te in populis, Domine; psallam te in nationibus:
- 11 Magnam *esse* usque ad coelos benignitatem tuam, et ad superiores usque nubes veritatem tuam.
- 12 Exaltare supra coelos, o Deus; super totam terram gloria tua.

LVIII.

Magistro symponiæ, ne perdas, Davidis *ode* insignis.

- 2 AN re vera, o manipule, justitiam loquimini? quæ recta *sunt* judicatis, filii hominis?
- 3 Quin etiam ex animo iniquitates operamini; in hac terra violentiam manuum vestrarum appenditis.
- 4 Abalienant se improbi inde a vulva, aberrant inde ab utero loquentes mendacium.
- 5 Venenum *est* illis simile veneno serpentis, sicuti aspidis surdæ obturantis aurem suam,
- 6 Quæ non auscultat voci mussitantium, utentis incantationibus peritissimi.
- 7 O Deus, destrue dentes eorum in ore ipsorum; molares juvenum leonum demolite, Jehova.
- 8 Liquefiant sicut aqua, indesinenter abeant: intentantis sagittas suas, tanquam in spicas abeant *sagittæ*.

- 9 Sicut limax liquescens abeat *quisque*; ut abortus mulieris, ut qui non viderunt solem.
- 10 Quum nondum sentientur spinæ vestræ, *spinæ* cynosbati, tam redivivam, quam adustam: procellet quamque.
- 11 Lætabitur justus, quum viderit ultionem; pedes suos lavabit in sanguine improbi.
- 12 Dicetque homo, Utique *est* fructus justo; utique est Deus, *est* judex in terra.

LIX.

Magistro symphonîæ, ne perdas, Davidis ode insignis: quum misisset Saul, qui observarunt domum illius, ut morte afficerent illum.

- 2 LIBERA me ab inimicis meis, Deus mi; supra erigentes se contra me extolle me.
- 3 Libera me ab iis, qui operam dant iniquitati, et ab hominibus sanguinariis serva me.
- 4 Nam ecce, insidiantur vitæ meæ, conveniunt contra me robusti, nulla defectione mea nulloque peccato meo, Jehova.
- 5 Nulla iniquitate *mea* concurrunt et comparant se: evigila *venturus* obviam mihi, et respice.
- 6 Tu ergo, Jehova, Deus exercituum, Deus Israelis, expergiscere ad visitandum omnes gentes istas: ne gratiam facias ullis perfide agentibus iniquitatem summe.
- 7 Revertuntur vespere, ganniunt ut canis; et circumdant civitatem.
- 8 Ecce, eructant ore suo, gladios *adhibent* ad labia sua; nam, Quis audit? *inquiunt*.
- 9 At tu, Jehova, ridebis eos; subsannabis omnes istas gentes.
- 10 Robur obtinente illo, te observabo: nam Deus *est* editus locus meus.

- 11 Deus benignitatis meæ præveniet me: Deus faciet, ut aspiciam observatores meos:
- 12 Ne occidas eos, ut non obliviscantur populares mei: exagita eos virtute tua, et dejice eos, clypeus noster, Domine.
- 13 Peccatum oris sui, verbum labiorum suorum, quando fuerint deprehensi in superbia sua, tum præ execratione, tum præ macie enarrent.
- 14 Consume æstu, consume, donec non sint *amplius*; ut sciant Deum summe dominari in Jacobo, usque ad fines terræ.
- 15 Quum revertuntur vespere, ganniant ut canis; et circumdant civitatem,
- 16 Seipsos exagitant ad comedendum; quum non fuerint saturati, tum cogantur pernoctare.
- 17 Ego vero canam robur tuum, et cantabo in matutinum quodque benignitatem tuam; te fuisse locum editum mihi et perfugium, *quo die fuit* angustia mihi.
- 18 O robur meum, tibi psallam: Deum esse locum editum meum, Deum benignitatis meæ.

LX.

Magistro symphonis in hexachordis testimonii *ode* insignis Davidis ad docendum:

quum certaret contra Syros Mesopotamienses, et contra Syros Zobæ: et reversus Joab percussisset Edomæos in valle Salis duodecies mille.

- 3 O Deus, rejeceras nos, disruperas nos iratus fueras, restitue *te* nobis.
- 4 Commoveras terram, diffregeras eam; cura fragmenta ejus, nam vacillat.
- 5 Fecerat, ut sentiret populus tuus *rem* duram,

- dederas bibendum nobis *tanquam* vinum horrorem.
- 6 Dedisti timentibus te vexillum, quo utantur: propter veritatem potentissime:
- 7 Ut liberentur dilecti tui, serva dextera tua et exaudi me.
- 8 Deus locutus est per sanctitatem suam, exultabo: in partem obtineo Sichemum, et convallem Succotharum metior:
- 9 Meus Gilead, et meus Menasse: Ephraimque robur capitis mei; Juda legislator meus.
- 10 Moab pollubrum meum; supra Edomæum projiciam calceum meum: contra me, Palæstina, clangentem age.
- 11 Quis deduceret me *in* civitatem munitam? quis duceret me Edomæam usque?
- 12 An non tu, Deus, rejeceras nos; ut non procederes, Deus, inter exercitus nostros?
- 13 Cedo nobis auxilium *tuum* ab hoste: alioqui vanitas *est* auxiliatio humana.
- 14 In Deo faciamus strenue, et ipse conculcabit hostes nostros.

LXI.

Magistro symphonie fidium *ode* Davidis.

- 2 / AUDI, Deus, clamorem meum; attende orationi meæ.
- 3 Ab extremitate terræ te inclamo, quum obruitur animus meus: in rupem, *quæ* sit editior me, deducito me:
- 4 Nam fuisti receptus mihi, turris robusta adversus inimicum.
- 5 Commorabor in tentorio tuo *per* secula, recipiam me in occultum alarum tuarum maxime.

- 6 Quum tu, Deus, auscultaveris votis meis, dederis hæreditatem *suam* reverentibus nomen tuum:
- 7 Dies diebus regis superaddito, anni ejus *sint* ut multarum generationum.
- 8 Maneat in seculum coram Deo; benignitatem et fidem præpara, *quæ* custodiant eum.
- 9 Sic psallam nomini tuo in perpetuum, rependendo vota mea quotidie. ¶

LXII.

Magistro symphonie in Jeduthune psalmus Davidis.

- 2 TANTUMMODO in Deo conquiescit anima mea. ab eo salus mea *est*.
- 3 Tantummodo ipse rupes mea *est* et salus mea, locus editus meus, non dimovebor *motione* magna.
- 4 Quousque machinabimini ærumnas in virum? occidemini vos omnes, *eritis* similes muro pando, macerie impulsæ.
- 5 Tantummodo de excellentia ejus consilia ineunt depellendi *eum*, delectantur mendacio: ore suo benedicunt, intra se vero maledicunt vehementissime.
- 6 Tantummodo in Deo conquiesce, anima mea; nam ab eo *est* expectatio mea.
- 7 Tantummodo ipse rupes mea *est* et salus mea, locus meus editus, non dimovebor.
- 8 In Deo *est* salus mea et gloria mea; rupes robusta mea, receptus meus *est* in Deo.
- 9 Confidite ei omni tempore, o popule, effundite coram eo animum vestrum: Deus receptui nobis *est* maxime.
- 10 Tantummodo vanitas *sunt* nati plebejo Komine,

mendacium *sunt* nati præstante viro; lancibus illi simul impositi ascensuri *essent* supra vanitatem.

- 11 Ne confidatis oppressioni, et rapina ne evanesatis: opulentia si abundet, ne apponatis animum.
- 12 Semel locutus est Deus, bis idem audiui: robur esse Dei,
- 13 Et tuam *esse*, Domine, benignitatem; te repensurum cuique secundum opus suum.

LXIII.

Psalmus Davidis, quum esset in deserto Judæ.

- 2 O Deus, *Deus* fortis meus es, tempestive requiro te: sitiens est tui anima mea, arescit ad te *spectans* caro mea, in terra sicca et fessa sine aquis:
- 3 Ad videndum robur tuum et gloriam tuam, sicut in loco sancto videbam te.
- 4 Nam benignitas tua melior est vita: *ut* labia mea laudent te.
- 5 Sic benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo attollam manus meas.
- 6 Quasi adipe et pinguedine saturabitur anima mea, et labiis canoris laudabit *te* os meum.
- 7 Quum recordor tui super strata mea, in vigiliis meditor de te:
- 8 Te fuisse summo auxilio mihi, ita ut in umbra alarum tuarum canerem:
- 9 *Quum* adhærescens anima mea sequitur te, sustentat me dextera tua.
- 10 Quamobrem isti, *qui* vastationem quærunt animæ meæ, pervenient ad imas partes terræ.
- 11 Facient, ut diffluat eorum quisque per gladium: portio vulpium futuri sunt.

- 12 Rex vero ipse lætabitur in Deo; gloriabitur, quisquis jurat per eum, quum obturabitur os loquentium mendacium.

LXIV.

Magistro symphonie psalmus Davidis.

- 2 AUDI, o Deus, vocem meam dum meditor; a pavore inimici custodi vitam meam:
- 3 Absconde me ab arcano *consilio* maleficorum, a tumultuatione operam dantium iniquitati:
- 4 Qui exacuunt sicut gladium linguam suam; intentant *ut* sagittam suam verbum amarulentum.
- 5 Jaculis petendo ex latebris integrum, repente jaculis petunt eum, neque timent:
- 6 Confirmant sibi rem malam: narrant de abscondendis laqueis: dicunt, Quis videret illos?
- 7 Perscrutantur iniquitates: conficimur iis, quæ callidissime sunt perscrutati: adeo intimum viri et cor profundum *est*.
- 8 Sed ubi jaculis petierit eos Deus, *a* sagitta repentina fuerint plagæ eorum,
- 9 Fecerintque ut ipsa lingua sua in seipsos impingant: vagi se in fugam dabunt, quisquis viderit eos.
- 10 Quicumque autem homines reverentur, nunciabunt opus Dei, et factum ejus intelligendum proponent:
- 11 Lætabitur justus in Jehova, et recipiet se ad eum, denique gloriabuntur omnes recti animo.

LXV.

Magistro symphonie psalmus Davidis; canticum.

- 2 TIBI *debetur* certa laus, o Deus, *qui es* in Zione: et tibi rependendum est votum.

- 3 O qui exaudis orationem, ad te usque omnis caro ventura est.
- 4 Res iniquæ prævaluerant mihi, defectiones nostras tu expias.
- 5 Beatus, *quem* eligis et admoves inhabitaturum atria tua: saturamur bono domus tuæ, rebus sanctis templi tui.
- 6 Res reverendas in justitia proloqueris nobis, o Deus salutis nostræ, fiducia omnium extrematum terræ et maris longinquarum:
- 7 Stabiliens montes virtute tua, accinctus potentia:
- 8 Compescens strepitum marium, strepitum fluctuum eorum, et fremitum nationum.
- 9 Qui facis, ut canant exortus matutinos et vespertinos incolæ extremitatum, reverentes a signis tuis.
- 10 Visitas hanc terram et appetis eam: plurimum ditas eam; rivo Dei pleno aquæ; paras frumentum illorum, quum ita præparaveris eam:
- 11 Porcas ejus irrigando, deprimendo liras ejus; imbribus dissolvis eam, germiini ejus benedicis.
- 12 Coronas annum bonitatis tuæ, et orbitæ tuæ stillant pinguedinem:
- 13 Stillant *in* caulas deserti, et exsultatione colles accinguntur.
- 14 Vestiuntur pascua gregibus, et convalles obteguntur tritico: clangentes agunt, *atque* etiam canunt.

LXVI.

Magistro symphonie canticum et psalmus.

- 1 CLANGITE Deo, omnes *incolæ* terræ:
- 2 Psallite gloriam nominis ejus, apponite gloriam laudi ejus:

- 3 Dicite Deo, Quam reverendus *es* factis tuis:
propter amplitudinem roboris tui mendaciter se
dedunt tibi inimici tui.
- 4 Omnes *incolæ* terræ incurvent se tibi, et psal-
lant tibi; psallant nomini tuo, *ut quum* maxime.
- 5 Venite et videte opera Dei; reverendus *est* actione
erga filios hominis.
- 6 Convertit mare in aridam; per flumen transive-
runt pedes, illic lætati sumus in eo.
- 7 Dominatur potentia sua in seculum: oculi ejus
gentes speculantur: qui rebelles sunt, ne effe-
rantur apud se ipsos admodum.
- 8 Benedicite, populi, Deo nostro; et facite, ut re-
sonet vox laudis ejus:
- 9 Qui restituit animam nostram in vitam, neque
permittit dimoveri pedes nostros.
- 10 Postquam probasti nos, Deus; conflasti nos, ut
conflatur argentum:
- 11 Induxisti nos in rete ipsum, imposuisti cingulam
asinariam lumbis nostris:
- 12 Fecisti, ut insideret mortalis in caput nostrum;
ingressi sumus per ignem et per aquam; tandem
eduxisti nos ad hanc saturitatem.
- 13 Ingrediens domum tuam cum holocaustis, re-
pendam tibi vota mea,
- 14 Quæ *nuncupaverint* aperta labia mea, et elo-
cutum fuerit os meum in angustia mea.
- 15 Holocausta pinguium arietum offeram tibi cum
suffitu: parabo boves cum hircis potentissime.
- 16 Agite, audite, quicumque timetis Deum; ut enar-
rem, quæ fecit animæ meæ.
- 17 Eum ore meo inclamavi, et *fui* elatus pro *ser-*
monibus linguæ meæ:
- 18 Ad iniquitatem si spectassem animo meo, non
exaudivisset Dominus.

- 19 At certe exaudivit Deus, attendit vocem orationis meæ.
- 20 Benedictus *est* Deus, qui non avertit orationem meam *a se*, et benignitatem suam a me.

LXVII.

Magistro symphoniciæ fidium psalmus *et* canticum.

- 2 DEUS gratiam faciat nobis, et benedicat nobis; illustret faciem suam erga nos maxime:
- 3 Ut agnoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutem tuam.
- 4 Celebrant te populi, Deus, celebrent te populi omnes.
- 5 Lætentur et cantent nationes, quum judicabis populos recte, et nationes ipsas in terra deduces potentissime.
- 6 Celebrant te populi, Deus; celebrent te populi omnes.
- 7 Terra dante proventum suum, benedicat nobis Deus, Deus noster.
- 8 Benedicat nobis Deus, et reveantur eum omnes fines terræ.

LXVIII.

Magistro symphoniciæ Davidis psalmus *et* canticum.

- 2 **SURGENTE** Deo disperguntur inimici ejus, et fugiunt infesti osores ejus a conspectu ejus.
- 3 Quasi impellas fumum, impellis *eos*; ut liquefit cera ab igne, pereunt improbi a conspectu Dei.
- 4 Justi vero lætantes exsultant coram Deo, et gaudent in lætitia.
- 5 Cantate Deo, psallite nomini ejus; extollite

eum, qui insidet amœnitatibus, de nomine ejus Jah; ac exsultate coram eo.

- 6 Pater pupillorum et defensor viduarum *est* Deus, in habitaculo sanctitatis suæ.
- 7 Deus collocat solitarios in familia, educit victos compedibus: at rebelles inhabitant locum aridissimum.
- 8 O Deus, quum procederes coram populo tuo, quum gradereris per solitudinem excellentissime:
- 9 Terra movebatur, etiam cœli destillabant a præsencia Dei: ipse Sinai a præsencia Dei, Dei Israelis.
- 10 Pluviam liberalissimam stillabas, Deus; possessionem tuam, eamque defessam, tu instaurabas.
- 11 Tui catervatim habitabant in ea; te parante per bonitatem tuam pauperi illi afflicto, Deus.
- 12 Dominus dabat sermonem; eæ, quæ annuntiabant, exercitu magno *dicebant*,
- 13 Reges exercituum fugiunt, fugiunt: et quæ comoratur domi, partitur spolia.
- 14 Etiamsi jacueritis inter duas strues lapideas, *eritis similes* alis columbæ, tectæ argento; cujus pennæ *sunt* ex fulvo auro effosso.
- 15 Quum expanderit omnipotens reges in hac *terra*, niveus eris in Zalmone,
- 16 Monte maximo, monte Basanis: monte frequente gibbis, monte Basanis.
- 17 Quare dejiceretis vos, montes frequentes gibbis? hæc montana desiderat Deus ad sedem suam, etiam Jehova inhabitabit in æternum.
- 18 Curruum Dei duæ *sunt* myriades, millia multiplicitia: Dominus cum illis *est*, Dominus Sinai in sanctuario *habitans*.

- 19 Ascendens in sublime captivam fecisti captivorum multitudinem: accipiens *dedisti* dona hominibus: etiam rebelles habitando *captivos facis*, Jah Deus.
- 20 Benedictus Dominus, *qui* quotidie onerat nos *donis*; Deus ille fortis salus nostra excellentissime.
- 21 Deus ille fortis nobis *est Deus* fortis ad salutem omnimodam: et Jehovi Domino *sunt* exitus contra ipsam mortem.
- 22 Tantummodo Deus frangit caput inimicorum suorum, verticem comatum indesinenter ambulantis in reatibus suis.
- 23 Dixerat Dominus, Ex Basane reduco, reduco ex profunditatibus maris.
- 24 Ut frangens *immergas* pedem tuum in sanguine, linguam canum tuorum; *sanguine fluente* ab inimicis, ab unoquoque eorum.
- 25 *Quum* viderent incessus tuos, o Deus; incessus Dei fortis mei, regis mei, *qui est* in sanctuario:
- 26 Præcedebant cantores, post fidicines inter puellas tympana pulsantes.
- 27 In congregationibus benedicite Deo, Domino, *qui estis* e scaturigine Israelis.
- 28 Illic *sit* Benjamin parvus *et* dominator eorum, principes Judæ *et* coetus eorum, principes Zebulon, principes Naphthali.
- 29 Præcipis Deus tuus robustum esse te; corrobora, o Deus, quod operatus es in nobis.
- 30 E templo tuo propter Hierosolyma tibi afferent reges donarium.

- 31 Perde catervam arundiferam, cœtum robustorum juvencorum cum vitulis populorum, fingentem subjicere se cum fragminibus argenti; dissipat populos, *qui* bellis delectantur.
- 32 Veniant magnates ex Ægypto, Æthiopia celeriter transmittat manuum suarum *donum* ad Deum.
- 33 Regna terræ, cantate Deo; psallite Domino vehementissime;
- 34 Insidenti cœlis cœlorum antiquorum; en, edit voce sua vocem robustam.
- 35 Tribuite robur Deo, cujus excellentia *est* super Israelem, et cujus robur in superioribus nubibus.
- 36 Formidabilis es, o Deus, e sanctuariis tuis: *Deus* fortis Israelis ipse dat robur et vires huic populo, benedictus *sit* Deus.

LXIX.

Magistro symphoniz ad hexachorda Davidis *ode*.

- 2 SERVA me, Deus, quia perveniunt aquæ usque ad animam:
- 3 Demergor in cœnum profundissimum, ubi non *est* consistendi locus: ingredior profunditates aquarum, et fluentum inundans abripit me:
- 4 Fatigor clamando, exsiccatur guttur meum, deficiunt oculi mei sperantis in Deum meum.
- 5 Plures sunt quam capilli capitis mei, qui oderunt me immerito; potentiores sunt, qui conantur me succidere, qui mihi sunt inimici injuria; tunc quod non rapui, rependere cogor.
- 6 O Deus, tu novisti stultitiam meam; et reatus mei non sunt celati tibi.
- 7 Ne erubescant de me expectantes te, Domine

Jehova, *Deus* exercituum: ne rubore suffundantur mea causa, qui quærent te, Deus Israelis.

8 Nam propter te sustineo opprobrium, operit ignominia faciem meam:

9 Extraneus effectus sum fratribus meis, et alienus filiis matris meæ:

10 Quia zelus domus tuæ exedit me, et opprobria probris afficientium te accidunt mihi.

11 Quum flens *affligo* jejunio animam meam, tum hoc vertitur in summum probum mihi.

12 Quum statuo vestimentum meum cilicium, tum sum illis in parabolam.

13 Confabulantur de me sedentes in porta, et *canunt* odas lyricas bibentes potum inebriantem.

14 *De* me itaque oratio mea ad te *est hæc*: Jehova, tempus *est* benevolentiae: Deus pro amplitudine benignitatis tuæ exaudi me, pro fide salutari tua.

15 Eripe me e luto, et ne immergar; eripiar ab osoribus meis, et a profunditatibus aquarum:

16 Ne inundans abripiat me fluentum aquarum, neque absorbeat me profundum: et ne præcludat mihi puteus os suum.

17 Exaudi me, Jehova, quia bona *est* benignitas tua: secundum amplitudinem miserationum tuarum respice ad me:

18 Et ne abscondas faciem tuam a servo tuo; quia *est* angustia mihi: festina, exaudi me,

19 Appropinqua ad animam meam, vindica eam: propter inimicos meos redime me.

20 Tu nosti opprobrium meum, pudoremque meum, et ignominiam meam: coram te *sunt* omnes hostes mei.

21 Opprobrium frangit animum meum, adeo ut afficiar ægritudine: quumque exspecto, qui con-

doleat, nemo adest; aut consolatores, tamen non invenio:

22 Quin *potius* dant pro alimento meo amarorem: et in siti mea bibendum dant mihi acetum.

23 Sit mensa eorum ante eos pro laqueo; et pro retributionibus, pro tendicula *ipsis*.

24 Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant: et fac, ut lumbi eorum *jūgiter* nutent.

25 Effunde super eos indignationem tuam, et æstus iræ tuæ assequatur eos.

26 Sint castella eorum desolata, in tentoriis eorum ne sit habitator:

27 Quia, quem tu percussisti, persequuntur, et secundum dolorem confessorum tuorum narrationes contexunt.

28 Appone pœnam ad pœnam iniquitatis eorum, et ne veniant in justitiam tuam.

29 Deleantur de libro vitæ, et cum justis ne conscribantur.

30 Ego vero pauper et dolens, *quum* salus tua, Deus, in edito collocaverit me,

31 Laudabo nomen Dei cantico, et magnificabo eum gratiarum actione:

32 Quæ melior videbitur Jehovahæ bove, juvenco cornuto *aut* ungulam scissam habente *quoquam*.

33 *Quod* ubi viderint mansueti, lætabuntur: et reviviscet animus vester, o quærentes Deum:

34 Quod attendat ad egentes Jehova, et vinctos suos non spernat.

35 Laudabunt eum cœli et terra; maria, et quicquid repit in eis:

36 Quia Deus servat Zionem, et instaurat civitates Judæ; ut habitent ibi, et hæreditario jure possideant eam *terram*.

- 37 Posterī, inquam, servorum ejus possideant eam, et amantes nominis ejus habitent in ea.

LXX.

Magistro symphonīæ *ode* Davidis ad recordandum.

- 2 DEUS ad eripiendum me; Jehova, ad auxilium meum festina.
3 Pudefiant et rubore perfundantur quærentes animam meam: agantur retrorsum et ignominia afficiantur, qui delectantur malo meo.
4 Retrocedant pro mercede pudoris sui, qui dicunt, Euge, euge!
5 Gaudeant et lætentur in te omnes quærentes te: ac dicant jugiter, Magnificetur Deus, amantes salutis tuæ.
6 Ego vero sum pauper et egens, o Deus, festina mea causa: auxilium meum et liberator meus es, Jehova, ne tardes.

LXXI.

- 1 AD te, Jehova, me recipio, ne erubescam unquam.
2 Justitia tua eripe me et libera me, inclina ad me aurem tuam ac serva me.
3 Esto mihi rupes, quam inhabitem, quo veniam jugiter; præceptum posuisti de servando me, quia petra mea et munitio mea es.
4 Deus mi, libera me e manu improbi, e manu inique et præfracte agentis.
5 Nam tu *es* exspectatio mea, Domine Jehova, fiducia mea a pueritia mea.
6 Tibi innitor inde ab utero, a visceribus matris meæ tu abripuisti me: in te *est* laus mea jugiter.
7 Tanquam ostentum fui multis: adeo es mihi receptus robustus.

- 8 Impleatur os meum laude tua, toto die gloria tua.
- 9 Ne abjicias me tempore senectutis: quum deficit virtus mea, ne derelinquas me:
- 10 Quia loquuntur inimici mei de me, et observantes animam meam consultant simul:
- 11 Dicendo, Deus dereliquit eum; persequimini et prehendite eum, quia nemo *est* qui eripiat.
- 12 Deus, ne longe abesto a me: Deus mi, ad auxilium meum festina.
- 13 Pudefiant, deficient adversantes animæ meæ; operiantur opprobrio et ignominia quærentes malum meum.
- 14 Ego vero jugiter in expectatione sum de tota laude tua; et perrecturus sum.
- 15 Os meum narraturum est justitiam tuam, quotidie salutem tuam: quamvis ignorem numeros *ejus*:
- 16 Aggrediar omnimodam fortitudinem, Domine Jehova: commemorabo justitiam tuam solius.
- 17 Deus, docuisti me a pueritia mea, et huc usque indicavi mirabilia tua.
- 18 Quare etiam tantipser dum senex et canus sum, Deus, ne derelinquas me, donec indicavero brachium tuum *huic* generationi, omni venturæ *generationi* fortitudinem tuam:
- 19 Nam justitia tua, Deus, in altum usque *as-surgit*, quia facis res magnas; Deus, quis *est* par tibi?
- 20 Quia, postquam fecisti ut experirer angustias magnas et malas, rursus vitæ restituis me, et ex abyssis terræ rursus facis ut ascendam.
- 21 Auges magnitudinem meam, et divertens consolans me.

- 22 Etiam ego celebraturus sum te instrumento nablii, fidemque tuam, Deus mi; psallam tibi cithara, o Sancte Israelis.
- 23 Cantabunt labia mea, quando psallam tibi, et anima mea quam redemeris;
- 24 Etiam lingua mea quotidie enunciabit justitiam tuam: quod erubuerint, quod pudore perfusi fuerint quærentes malum meum.

LXXII.

Pro Salomone.

- 1 O Deus, judicia tua regi da, et justitiam tuam filio regis.
- 2 Iudicet populum tuum juste, et pauperes tuos jure.
- 3 Proferant montes pacem populo, et colles propter justitiam.
- 4 Vindicabit pauperes populi, servabit filios egen-tis, conteret vero oppressorem.
- 5 Revere-buntur te, quamdiu erit sol; et durante luna in generationem æternam.
- 6 Ut quum descendit pluvia super sectam herbam, quum imbres, irrigatio terræ:
- 7 Florebit temporibus ejus justus, et amplitudo pacis, donec non sit luna:
- 8 Et dominabitur a mari uno ad alterum, et a flumine quaqua *sunt* fines terræ.
- 9 Coram eo honorem exhibentes incurvabunt se barbari, et inimici ejus pulverem lingent.
- 10 Reges oceani *accolæ* et insulani munus reddent; reges Arabiæ et Sebæ donarium offerent:
- 11 Denique incurvabunt se *honorem exhibentes* ei omnes reges, omnes gentes servient ei.
- 12 Quoniam eripiet egentem vociferantem, et pauperem, cui non fuerit adjutor:

- 13 Parcet attenuato et egenti, animasque egentium servabit:
- 14 A dolo et a violentia vindicabit animam eorum: adeo pretiosus *est* sanguis eorum in oculis ejus.
- 15 Ideo quamdiu vivet, dabit ei de auro Arabiæ: et orabit pro eo jugiter, toto die benedicet ei.
- 16 *Ubi* fuerit pugillus tritici in terra, in vertice montium, commovebit se ut Libanus fructus ejus, et florebunt cives ut herba terræ.
- 17 Erit nomen ejus in seculum, durante sole sobolescet nomen ejus: et benedicentes sibi in eo omnes gentes beatum prædicabunt eum.
- 18 Benedictus *sit* Jehova Deus; Deus Israelis, qui facit mirabilia solus:
- 19 Et benedictum nomen gloriæ ejus in seculum: impleaturque gloria ejus tota terra. Amen, iterum Amen.
- 20 Finiuntur orationes Davidis, filii Jsai.

TERTIUS LIBER PSALMORUM.

LXXIII.

Psalmus Asaphi.

- 1 ATQUI bonus *est* Israeli Deus, puris animo.
- 2 Equidem *quod* ad me, pæne declinaverant pedes mei; nihil fere *aberat*, *quin* effunderentur gressus mei.
- 3 Quum inviderem insipientibus, prosperitatem improborum aspicerem.
- 4 Nam non *sunt* nexus usque ad mortem eorum, sed pingue *est* robur eorum.

- 5 In labore mortalium non sunt, et cum *reliquis* hominibus non afficiuntur plagis.
- 6 Idcirco cingit eos torques superbiae, operit *velut* ornamentum violentia eos.
- 7 Emicat prae pinguedine uterque oculus eorum, superant cogitationes animi.
- 8 Tabifici sunt, et loquuntur maligne oppressionem: *et* e sublimi loquuntur.
- 9 Opponunt cœlis os suum, et lingua eorum pervadit terram.
- 10 Ideoque redit populus ejus huc, quum aquæ pleni *phoculi* exprimuntur ipsis;
- 11 Ut dicant, Quomodo cognosceret Deus fortis? aut esset notitia in excelso?
- 12 Ecce istos improbos, ut tranquilli *in* seculoaugeant vires.
- 13 Utique inaniter purifico animum meum, et lavo in munditia manus meas:
- 14 Quum sim plaga affectus quotidie, et castigatio mea *præsto sit* matutinis singulis.
- 15 Si dixerim, Narrabo talia; ecce generationi filiorum tuorum perfidus fuero:
- 16 Si cogitem cognoscere hoc, laboriosum *visum* est in oculis meis:
- 17 Donec ingressus essem in sanctuaria *Dei* fortis, animadvertissem finem istorum.
- 18 Utique in lubricis ponis eos, dejiciens eos in vastitates.
- 19 Quomodo abeunt in desolationem quasi momento: desinunt, consumuntur terroribus!
- 20 Tanquam somnium, postquam evigilavit *quispiam*! Domine, quum expergisceris, imaginem eorum contemnis.
- 21 Quum exacerbatur animus meus, et *in* renibus meis meipsum exacuebam,

- 22 Tum eram brutus, qui ignorarem: *velut* jumenta eram apud te.
- 23 Itaque ego jugiter *futurus sum* tecum: prehendi manum dexteram meam.
- 24 Consilio tuo deduc me, ut postmodum *in* gloriam recipias me.
- 25 Quis *esset* mihi in cœlis *præter te?* et præter te nullo delector in terra.
- 26 Deficiente carne mea et animo meo, rupes animi mei et portio mea Deus *est* in seculum.
- 27 Nam ecce, longinqui a te pereunt; excindis, quicumque adulterando *deficit* a te.
- 28 De me itaque, propinquum esse Deo mihi bonum *est*; pono in Domino Jehova receptum meum, ut enarrem omnia opera tua.

LXXIV.

Ode didascalica Asapho.

- 1 QUARE, Deus, rejicis in æternum? fumare pergit ira tua in gregem pastus tui?
- 2 Recordare cœtus tui, te acquisivisse antea, vindicasse tribum possessionis tuæ; montem Zionis hunc *esse*, in quo habitabas.
- 3 Attolle pedes tuos ad vastitates æternas; *ad* omnia mala, quæ facit inimicus in loco sancto.
- 4 Rugientes hostes tui in medio synagogarum tuarum posuerunt insignia sua *pro* insignibus.
- 5 Nobilis habitus est *eorum quisque*, prout efferebat sursum contra implexa ligna secures.
- 6 Etiam nunc sculpturas ejus simul vecte et tuditibus tundunt.
- 7 Immiserunt ignem in sanctuaria tua; *dejicientes* in terram profanarunt tabernaculum nominis tui.
- 8 Dixerunt cum animo suo, Vim inferamus eis pa-

riter! incenderunt omnes synagogas *Dei* fortis, *deficientes* in terram:

9 Insignia nostra non videmus, non *est* amplius propheta, neque *est* apud nos qui sciat usque quo.

10 Quousque, o Deus, probro afficiet hostis? irritabit inimicus nomen tuum in æternum?

11 Quare avertis manum tuam, et *quidem* dexteram tuam? e medio sinus tui cohibe.

12 Atqui Deus rex meus *est* jam olim, operans omnimodam salutem in medio terræ.

13 Tu disruptisti robore tuo mare, perfregisti capita cetorum in aquis.

14 Tu conquassasti capita balænæ, dedisti cibum ipsi populo per deserta *proficiscenti*.

15 Tu fidisti fontem et torrentem; tu arefacis fluvios validos.

16 Tuus *est* dies; etiam tua nox: tu parasti lumen *hujus* et solem.

17 Tu statuisti omnes terminos terræ; ipsam æstatem et hyemem tu formasti.

18 Recordare *saltem* hujus, inimicum probro afficere, o Jehova, et populum stultum irritare nomen tuum.

19 Ne tradas *isti* catervæ vitam turturis tuæ, catervæ pauperum tuorum afflictorum ne obliviscaris in æternum.

20 Intuere in foedus: nam repleta sunt obscurissima loca terræ, caulæ *sunt* violentiæ.

21 Qui attritus est, ne redeat confusus, pauper et egens laudent nomen tuum.

22 Surge, o Deus, age causam tuam; recordare opprobrii tui, *quo afficeris* a stulto quotidie.

23 Ne obliviscaris vocis hostium tuorum; strepitus insurgentium in te, augescentis jugiter.

LXXV.

Magistro symphonie, ne perdas, psalmus Asapho *et*
canticum.

- 2 CELEBRAMUS te, Deus, celebramus: nam propinquum nomen tuum: enarrant mirabilia tua.
- 3 Quum excepero conventum, ego rectissime judicabo.
- 4 Solutas terræ omniumque habitatorum ejus ego aptabo columnas maxime:
- 5 Dicens insanientibus, Ne insaniatis; et improbis, Ne attollatis cornu:
- 6 Ne attollatis contra excelsum cornu vestrum, *ne* loquamini collo duro;
- 7 Non enim ab exortu aut ab occasu, neque a deserto *est* exaltatio:
- 8 Sed Deus judex: hunc deprimit, et illum extollit.
- 9 Nam poculum in manu Jehovæ, et vinum turbidum est, plenum mixtione, ex quo fudit: veruntamen fæces ejus, *quas* expresserint, bibent omnes improbi terræ.
- 10 Ego itaque annunciem in seculum, psallam Deo Jacobi.
- 11 Et omnia cornua improborum succidam; exaltentur cornua justi.

LXXVI.

Magistro symphonie fidium psalmus Asapho *et*
canticum.

- 2 NOBILIS *est* in Juda Deus, in Israele magnum nomen ejus.
- 3 Cujus tugurium *est* Salemi, et habitaculum Zione.

- 4 Ibi confregit coruscos arcus, scutum gladiumque et bellum vehementissime.
- 5 Illustris factus es, magnificus, ex montibus directionis.
- 6 Dediderunt se in prædam robusti animo, dormitaverunt somnum suum: adeo ut non invenerint ulli viri bellatores manus suas.
- 7 Præ increpatione tua, o Deus Jacobi, consopitus est et currus et equus.
- 8 Tu, tu, *inquam*, formidabilis es: ecquis consisteret coram te, ex quo irasceris?
- 9 E coelis facis, ut audiatur sententia; terra timet, et quieta sidit:
- 10 Quum surgit ad iudicium Deus, ad servandum omnes mansuetos terræ maxime.
- 11 Nam æstus hominum celebrat te, residuo æstuum accingis *tuos*.
- 12 Vovete et *vota* reddite Jehovæ Deo vestro: quicumque circumstant illum, afferant munus illi formidabili,
- 13 *Qui* vindemiat spiritum antecessorum, formidabili regibus terræ.

LXXVII.

Magistro symphonie, præfecto *posterts* Joduthunis,
Asaphi psalmus.

- 2 VOX mea ad Deum *fertur*, quum exclamo: vox mea ad Deum, ut aurem advertat ad me.
- 3 Tempore angustie meæ Dominum requiro: manu mea noctu perfusa et non intermittente: renuente consolationem admittere anima mea.
- 4 Recordor Dei, quum fluctuando perstrepo: meditator, quum obruit se spiritus meus vehementissime.

- 5 *Quum* tenes vigiles oculos meos, concutior, ita ut non possim eloqui.
- 6 Reputo tempora inde ab antiquitate, annos *superiorum* seculorum.
- 7 Recordor musicæ pulsationis meæ nocte: cum animo meo meditor, et perscrutatur spiritus meus, *dicens*:
- 8 An in secula repelleret Dominus? aut non pergeret bene velle amplius?
- 9 An deficeret in æternum benignitas ejus? desineret sermo in quamque generationem?
- 10 An oblitus esset gratiam facere *Deus* fortis? an occluderet ira miserationes suas summe?
- 11 Tandem dico, Infirmare me istud, mutata dextera Excelsi?
- 12 *Imo* recordabor actionum Jah: quin recordabor inde ab antiquitate quodque mirabilium tuorum:
- 13 Et meditabor de unoquoque opere tuo; de actionibus tuis confabulabor, *dicens*:
- 14 O Deus, in sanctitate via tua *est*; quis *Deus* fortis magnus *est* ut Deus?
- 15 Tu, o *Deus* fortis mirifice, ostendisti in populis robur tuum.
- 16 Vindicasti brachio populum tuum: posteros Jacobi, etiam Josephum maxime.
- 17 Videntes te aquæ, Deus, videntes te aquæ formidarunt: etiam commotæ sunt abyssi.
- 18 Exundarunt aquas nubes, sonum ediderunt superiores nubes: etiam pervaserunt sagittæ tuæ.
- 19 Sonante tonitru tuo in isto orbe, illustrarunt fulgura orbem habitabilem: commota est et tremuit terra.

- 20 Per mare via tua, et semita tua per aquas
amplas; ubi vestigia tua non sunt cognita,
21 Duxisti ut gregem populum tuum, Mosis et
Aaronis opera.

LXXVIII.

Ode didascalica Asaphi.

- 1 AURIBUS percipe, popule mi, doctrinam meam;
inclinate aurem vestram ad sermones oris
mei.
2 Aperiam per parabolam os meum, eructabo oc-
cultam inde a prisco *tempore*:
3 Quæ audivimus ac novimus, ut majores nostri
narraverunt nobis;
4 Non celabimus filios eorum, generationem po-
steram: narraturos laudes Jehovæ, roburque ejus,
et mirabilia ejus opera, quæ fecit.
5 Nam statuit testimonium in Jacobo, et legem
posuit in Israele; quæ præcepit majoribus no-
stris nota facere filiis ipsorum:
6 Ut sciant generatio postera, filii nascituri, sur-
gentesque enarrent filiis suis:
7 Et ponant in Deo spem suam, neque oblivis-
cantur actionum Dei fortis; sed præcepta ejus
custodiant:
8 Ac non sint ut majores eorum, generatio con-
tumax et rebellis; generatio, quæ non compara-
vit animum suum, et cujus spiritus non fuit con-
stans erga *Deum* fortem.
9 Ut posterī Ephraimi armati jaculantes arcu,
vertentes *terga* tempore prælii:
10 Quia non servaverant fœdus Dei, et in lege
ejus renuerant ambulare:
11 Obliti actionum ejus et mirabilium ejus operum,
quæ ostenderat ipsis.

- 12 Coram majoribus eorum fecerat miracula, in
terra Ægypti, agro Tanitico.
- 13 Diffiderat mare, ut traduceret eos; statuens aquas
tanquam acervum;
- 14 Deduxeratque eos nube interdiu, et totam no-
ctem lucente igne.
- 15 Fiderat rupes in deserto, ut potum præberet in
abyssis plurimum,
- 16 Educens fluentia e petra, et demittens tanquam
flumina aquas.
- 17 Perrexerunt tamen adhuc peccare in eum,
exacerbando Excelsum in ipsa *terra* sicca:
- 18 Et tentantes *Deum* fortem cum animo suo, pe-
tiverunt cibum pro desiderio animi sui:
- 19 Ac obloquentes contra Deum dixerunt, an pos-
set *Deus* fortis instruere mensam in hoc de-
serto?
- 20 En, ita percussit rupem, ut fluxerint aquæ et
torrentes exundaverint: an etiam cibum posset
dare? an pararet carnem populo suo?
- 21 Idcirco audiens Jehova excanduerat: et ignis
succensus erat in Jacobum, ac etiam ira arserat
in Israellem:
- 22 Quia non crediderant in Deum, neque confisi
erant *in* salute ejus:
- 23 Quamvis præcepisset superioribus nubibus su-
perne, et januas cœlorum aperuisset:
- 24 Depluensque super eos Man ad comedendum,
frumentum cœlorum daret illis:
- 25 Panem robustissimorum comederet quisque, via-
ticum mitteret eis ad saturitatem:
- 26 Impellens Eurum in cœlis, et inducens robore
suo Austrum.

- 27 Quum depluisset super eos carnem tanquam pulverem, et sicut arenam marinam volucres alas,
- 28 Dejiciens intra castra sua, circa tabernacula sua:
- 29 Et comedentes saturati essent valde, et quod concupiverant illi, attulisset illis:
- 30 Nondum alienati erant a concupiscentia sua, adhuc cibus eorum in ore eorum *erat*,
- 31 Quum ira Dei ardens in eos interficeret e pinguis-
simis eorum; et juvenes Israelis proster-
neret.
- 32 Post totum hoc peccaverunt amplius, neque crediderunt propter mirabilia ejus opera.
- 33 Quamobrem consume-
bat vanitate dies illorum,
et annos illorum terrore.
- 34 Quum occidebat eos, si requirebant eum, et conversi mane quærebant *Deum* fortem,
- 35 Recordantes Deum fuisse rupem suam, et *Deum* fortem excelsum *fuisse* vindicem suum.
- 36 Quamvis conarentur eum decipere ore suo, et lingua sua mentirentur ei,
- 37 Et animus ipsorum non esset comparatus erga eum, neque constantes essent in foedere ejus:
- 38 Tamen ille misericors expiabat iniquitatem, ita ut non perderet; et plurimum avertebat iram suam, neque excitabat totum æstum suum;
- 39 Recordans carnem eos esse, ventum abeuntem, qui non revertitur.
- 40 Quoties exacerbaverunt eum in deserto? dolore affecerunt eum in solitudine?
- 41 Qui subinde tentarunt *Deum* fortem, et sanctum Israelis circumscripserunt,

- 42 Immemores manus ejus, diei, quo redemerat ipsos ab hoste:
- 43 Quo disposuit in Ægypto signa sua, et prodigia sua in agro Tanitico:
- 44 Quum mutavit in sanguinem rivos eorum fluentaque eorum, ne bibere possent:
- 45 Immisit in eos colluviem animalium, quæ consumeret eos, ac ranas, quæ perderent eos:
- 46 Et dedit brucho proventum eorum, ac laborem eorum locustæ:
- 47 Occidit grandine vites eorum, et sycomoros eorum *igni*, qui, quacumque insidebat, consumeret:
- 48 Dedit etiam eidem grandini bruta eorum, et pecora eorum prunis ignitis:
- 49 Immisit in eos æstum iræ suæ, excandescentiam indignationemque et angustiam, mittendo nuncios malorum:
- 50 Liberavit iter ad iram suam, non cohibuit a morte vitam illorum: et bestias eorum pesti dedit:
- 51 Et percussit omne primogenitum in Ægypto, principium virium in tentoriis Chami:
- 52 Et transtulit tanquam pecudes populum suum, direxitque eos tanquam gregem per desertum:
- 53 Et deducens eos secure, ita ut non metuerent, postquam inimicos eorum operuisset mare,
- 54 Adduxit eos in terminum sanctitatis suæ, montem hunc, *quem* acquisivit dextera ejus;
- 55 Expellens a facie eorum gentes, faciensque ut acciderent funiculo possessionis: et habitaverunt in tentoriis earum tribus Israelis.
- 56 Attamen tentarunt et exacerbarunt Deum excelsum, et testimonia ejus non observarunt:
- 57 Sed aversi perfide egerunt ut majores eorum: conversi sunt ut arcus fallax.

- 58 Nam provocarunt eum per excelsa sua, et per sculptilia sua ad zelotypiam concitarunt eum.
- 59 *Quod* audiens Deus excanduit, sprexitque valde Israellem:
- 60 Adeo ut deserens tabernaculum Siluntis, tentorium, *quod* collocaverat inter homines:
- 61 Traderet in captivitatem robur suum, et gloriam suam in manum hostis:
- 62 Dederetque gladio populum suum; quia in possessionem suam excanduerat:
- 63 Juvenes ejus absumeret ignis, et virgines ejus non laudarentur:
- 64 Sacerdotes ejus gladio conciderent, et viduæ ejus non flerent.
- 65 Deinde evigilavit Dominus, *qui visus fuerat* tanquam dormiens, sicut robustus, cantillans ex vino:
- 66 Et percussit hostes suos retro, opprobrium perpetuum indidit eis.
- 67 Tandem sprexit tentorium Josephi, et tribum Ephraimi non elegit.
- 68 Eligens vero tribum Judæ, montem Zionis, quem diligat:
- 69 Ædificavit simile excelsis *palatiis* sanctuarium suum: utpote *in* terra, quam statuit in seculum.
- 70 Eligensque Davidem servum suum, et assumens eum ex caulis gregis:
- 71 A tergo foetarum duxit eum ad pascendum Jacobum, populum suum, et Israellem, possessionem suam.
- 72 Qui pavit eos pro integritate animi sui, et summa prudentia manuum suarum deduxit eos.

LXXIX.

Psalmus Asapho.

- 1 O Deus, ingressæ sunt gentes in possessionem tuam; polluerunt templum sanctitatis tuæ, disposerunt Hierosolyma in cumulos.
- 2 Dederunt cadaver servorum tuorum cibo volucribus cœli; carnem eorum, quos benignitate prosequeris, bestiis terræ.
- 3 Effuderunt sanguinem eorum velut aquam circa Hierosolyma, nec *erat* qui sepeliret.
- 4 Sumus opprobrio vicinis nostris, sannæ et ludificationi circumstantibus nos.
- 5 Quousque Jehova? irasceris in æternum? ardebit velut ignis zelus tuus?
- 6 Effunde æstum tuum in eas gentes, quæ non agnoscunt te, et super regna, quæ nomen tuum non invocant.
- 7 Nam *consumtor* consumpsit Jacobum, et habitaculum ejus desolaverunt.
- 8 Ne recorderis adversus nos iniquitates præcedentium *temporum*: festinantes præveniant nos miserationes tuæ, nam attenuati sumus valde.
- 9 Auxiliare nobis, Deus salutis nostræ, propter honorem nominis tui; et eripe nos, expiationemque fac de peccatis nostris propter nomen tuum.
- 10 Cur dicturæ essent istæ gentes, Ubinam *est* Deus istorum? innotescat in istis gentibus ante oculos nostros ultione sanguinis servorum tuorum effusi.
- 11 Perveniat ante faciem tuam gemitus vincti; pro magnitudine brachii tui fac, ut reliqui sint qui jam traduntur morti.
- 12 Redde ergo vicinis nostris septuplo in sinum

ipsorum: opprobrium ipsorum, quo affecerunt te, Domine.

- 13 Et nos, populus tuus et grex pastus tui, celebrabimus te in seculum, in quamque generationem enarrabimus laudem tuam.

LXXX.

Magistro symphonie ad hexachorda psalmus testimonii
Asapho.

- 2 O pastor Israelis, auribus percipe! ductor Josephi tanquam gregis, insidens Cerubinis, illucesce!
- 3 Coram Ephraimo Benamineque et Menasse excita potentiam tuam: et veni ad plenam salutem *afferendam* nobis.
- 4 O Deus, restitue nos et fac, ut luceat facies tua: ita servabimur.
- 5 Jehova, Deus exercituum, quousque fumaturus es contra orationem populi tui?
- 6 Cibas eos pane lacrymarum, et bibendum præbes eis de lacrymis triental.
- 7 Exponis nos contentioni vicinis nostris, et inimici nostri subsannant *nos*.
- 8 O Deus exercituum, restitue nos et fac, ut luceat facies tua: ita servabimur.
- 9 Vitem ex Ægypto transtuleras: expuleras gentes, ut plantares eam:
- 10 Expediveras ante eam, fecerasque, ut ageret radices suas: et impleverat terram.
- 11 Operiebantur montes umbra ejus, et palmitum ejus cedri maximæ.
- 12 Emittebat ramos suos usque ad mare, et ad flumen teneros ramos suos.

- 13 Quare perrupisti macerías ejus, adeo ut carpant eam omnes viatores?
- 14 Suffodiat eam porcus sylvestris, et animal agreste depascat eam?
- 15 O Deus exercituum, revertere jam, intueri cœlis et respice: ac visita vitem hanc,
- 16 Et surculum, quem plantaverat dextera tua: idque propter filium, *quem* fortificasti tibi.
- 17 Incensa igne, succisa *est*; ab increpatione faciei tuæ pereunt.
- 18 Adsit manus tua viro dexteræ tuæ: filio hominis, quem fortificasti tibi:
- 19 Ac non retrocedemus a te: in vita conserva nos, ut nomen tuum invocemus.
- 20 Jehova, Deus exercituum, restitue nos; fac, ut luceat facies tua: ita servabimur.

LXXXI.

Magistro symphonici ad Giththæa ode Asapho.

- 2 CANTATE Deo, robori nostro; vociferamini Deo Jacobi.
- 3 Sumite psalmodica instrumenta, et apponite tympanum, citharam amœnam cum nablio.
- 4 Clangite in novilunio buccina, stativis quibusque feriis, diebus festis nostris.
- 5 Nam statutum in Israele est, ritus a Deo Jacobi:
- 6 Qui testimonium in Josepho imposuit ipsum, quum processisset contra terram Ægypti, *ubi* sermonem ignotum audiebam.
- 7 Amovi, *inquit*, ab onere humerum ejus; manus ejus a lacusculo *intrita* abierunt.
- 8 Quum in angustia illa exclamares, liberavi te:

exaudivi te in latebris tonitru: probavi te *usque*
ad aquas Meribæ summe.

- 9 Audi, popule mi, et contestabor te, o Israel, si
auscultaveris mihi:
- 10 Si non erit in te *Deus* fortis extraneus, neque
incurvabis te *Deo* forti alienigenæ *honorem ex-*
hibens.
- 11 Ego *sum* Jehova, Deus tuus, qui feci ut ascen-
deres e terra *Ægypti*: dilata os tuum, et imple-
turus sum illud.
- 12 Sed non auscultavit populus meus voci meæ,
et Israel non acquievit mihi.
- 13 Quapropter dimisi eos *ambulatu*ros ex sententia
animi sui, *dicens*, Abeant cum pravis consiliis
suis.
- 14 O si populus meus auscultasset mihi, si Isra-
elitæ in viis meis ambulassent:
- 15 Vel momento inimicos eorum fuisset depres-
surus, quum in hostes eorum convertissem ma-
num meam.
- 16 Osore*s* Jehovæ mendaciter se dedissent ei, et
futurum fuisset tempus istorum in seculum:
- 17 Denique cibaturum fuisset eum adipe tritici;
etiam ex rupe melle fuisset satiaturus te.

LXXXII.

Psalmus Asapho.

- 1 DEUS adstat in cœtu *Dei* fortis, inter magi-
stratus judicat.
- 2 Quousque judicabitis inique, et personam im-
proborum suscipietis summe?
- 3 Judicate *secundum* tenuem et pupillum; afflictum
et pauperem justum pronunciate:

- 4 Liberate tenuem et egentem, e manu improborum eripite.
- 5 Ignorantibus et non animadvertentibus, in tenebris indesinenter ambulanti-
bus illis, dimoventur omnia fundamenta terræ.
- 6 Ego dico, Dii *quidem* estis, et filii Excelsi vos omnes:
- 7 *At* certe ut plebejus homo morituri estis, etiam sicut unus aliorum principum casuri estis.
- 8 Surge, o Deus, judica terram: tu enim possessionem habes *judiciorum* in omnibus gentibus.

LXXXIII.

Canticum *et* psalmus Asapho.

- 2 O Deus, ne agas silentium; ne surdum agas, neque quiescas, o *Deus* fortis.
- 3 Nam ecce, inimici tui perstrepunt, et osores tui extollunt caput.
- 4 Contra populum tuum callide ineunt consilium, et consultant contra abditos tuos,
- 5 Dicentes, Agite, excindamus istos, ne sint gens; ut non memoretur nomen Israelis amplius.
- 6 Nam consilium inierunt animis paribus, contra te foedus pepigerunt:
- 7 Tentoria Edomæorum et Ismaelitarum, Moabitæ et Hagareni,
- 8 Gebalitæ Hammonitæque et Hamalecitæ, Palæstini cum habitatoribus Tyri:
- 9 Etiam Assyrius adjunxit se istis; sunt brachium posteris Loti maxime.
- 10 Fac istis ut Midianitis, ut Siseræ, ut Jabini in torrente Kisonis:
- 11 *Qui* excisi fuerunt ad Hendorum, facti sunt finis terræ.

- 12 Redige ipsos ingenuos istorum ut Horebum et ut Zebum, ut Zebachum et Zalmunahum, omnes toparchas istorum:
- 13 Qui dicunt, Hæreditario jure possideamus nobis habitacula Dei.
- 14 Deus mi, pone eos velut rotam, ut stipulam coram vento.
- 15 Ut ignis exurit silvam, et ut flamma accendit montes,
- 16 Ita prosequere eos procella tua, et turbine tuo conturba eos.
- 17 Reple faciem eorum ignominia; ut requiratur nomen tuum, o Jehova.
- 18 Pudore perfundantur, et conturbentur usque in seculum; erubescantque et pereant:
- 19 Ut cognoscatur te, cui soli nomen *est* Jehova, excelsum esse supra universam terram.

LXXXIV.

Magistro symphonie ad Gitthæa posteris Korahi
psalmus.

- 2 QUAM amabilia *sunt* tabernacula tua, o Jehova exercituum.
- 3 Desiderio afficitur, etiamque deficit anima mea *veniendi* ad atria Jehovæ; cor meum et caro mea exclamant *veniendi* ad Deum fortem viventem *desiderio*.
- 4 Etiam passer invenit domum, et hirundo nidum sibi, *in* quo ponat pullos suos: altaria tua, o Jehova exercituum, rex mi et Deus mi.
- 5 Beati, qui inhabitant domum tuam, *qui* adhuc laudant te summe.
- 6 Beatus homo, cui facultas *est* in te semitas *tuas insistendi* ex animi sui *sententia*:
- 7 *Qui* transeuntes per vallem mori fontem con-

- stituunt eum; *quos* etiam benedictionum operit pluvia:
- 8 Qui pergunt ab acie ad aciem, comparituram apud Deum Zionem.
- 9 Jehova Deus, *Deus* exercituum, audi orationem meam; auribus percipe, o Deus Jacobi maxime.
- 10 Scutum nostrum aspice, o Deus; et intueri faciem Christi tui.
- 11 Nam melior *est* dies *unus* in atriis tuis, quam mille *alibi*: eligo frequentare limen in domo Dei mei, magis quam habitare in tentoriis improbitatis:
- 12 Quia sol et scutum *est* Jehova Deus, gratiam et gloriam dat Jehova: non cohibet bonum *ab* ambulatibus in integritate.
- 13 O Jehova exercituum, beatus homo, qui fiduciam habet in te.

LXXXV.

Magistro symphoniae in posteris Korahi psalmus.

- 2 BENEVOLUS fueras, o Jehova, terrae tuae: reduxeras turbam captivam Jacobi:
- 3 Condonaveras iniquitatem populi tui, texeras omne peccatum eorum summe:
- 4 Receperas omnem excandescientiam tuam: averteras, quo minus aestuaret, iram tuam.
- 5 Restitue nos, o Deus salutis nostrae; et irritam fac indignationem tuam contra nos.
- 6 An in seculum irascereris contra nos? protrahe-
res iram tuam in quamque generationem?
- 7 An non tu reversus vitae restitueres nos, ut populus tuus lætentur in te?
- 8 Ostende nobis, Jehova, benignitatem tuam; et salutem tuam da nobis.

- 9 Audiam, quid loquatur *Deus* ille fortis Jehova: nam eloquitur pacem erga populum suum et erga eos, quos benignitate prosequitur: sed ne revertantur ad stultitiam.
- 10 Utique propinqua *est* timentibus eum salus ejus, habitatura est gloria in terra nostra. Benignitas et fides occurrent inter se, justitia et pax osculabuntur se.
- 11 Fides e terra germinabit, et justitia e coelis prospectabit.
- 12 Etiam Jehova dabit quod bonum est, ut terra nostra edat proventum suum:
- 13 Faciet, ut justitia præeat sibi, dum conferet ad iter pedes suos.

LXXXVI.

Oratio Davidis.

- 1 INCLINA, Jehova, aurem tuam, exaudi me; nam pauper et egens sum.
- 2 Serva animam meam; nam is sum, quem benignitate prosequeris: serva tuum servum, tu, Deus mi, fiduciam habentem in te.
- 3 Gratiam fac mihi, Domine: quia te inclamo toto die.
- 4 Lætifica animam servi tui: quia ad te, Domine, animam meam attollo.
- 5 Tu enim, Domine, bonus es et condonans, multusque benignitate omnibus invocantibus te.
- 6 Auribus percipe, Jehova, orationem meam; et attende ad vocem deprecationum mearum.
- 7 Tempore angustiae meae invoco te, quia exaudis me.
- 8 Non *est* par tibi inter ullos deos, o Domine, neque *sunt* paria operibus tuis *opera*.
- 9 Omnes gentes, quas *eis* afficis, venientes incur-

vant se coram te, Domine; et honorem habent
nomini tuo:

10 Quia magnus es atque mirificus, tu Deus solus es.

11 Doce me, Jehova, viam tuam, pergam in veritate tua, aduna animum meum ad timendum nomen tuum.

12 Celebrabo te, Domine, Deus mi, ex toto animo meo; et honore prosequar nomen tuum in seculum:

13 Quum benignitas tua magna *sit* erga me, et eripueris animam meam a sepulchro imo.

14 O Deus, superbi insurgunt contra me, et cœtus violentorum quærunt vitam meam, qui non proponunt te sibi.

15 Tu autem, Domine, *Deus* fortis, misericors et graciosus *es*, longanimis et multus benignitate ac fide.

16 Respice ad me, et gratiam fac mihi; da robur tuum servo tuo, et serva filium ancillæ tuæ.

17 Effice erga me signum, *quod* bono *sit*; ut videntes osos mei pudore perfundantur, quum tu Jehova adjuveris me et consolatus fueris me.

LXXXVII.

Posteris Korahi psalmus et canticum.

1 FUNDATIONEM suam inter montes sanctitatis,

2 Diligit Jehova portas Zionis supra quam ulla tabernacula Jacobi.

3 Honorificentissima *sunt*, quæcunque prædicantur de te, o civitas Dei summe *honorifica*.

4 Memoro Ægyptium et Babylonium apud noscentes me; ecce Palæstinum et Tyrium cum Æthiope, hunc genitum esse ibidem:

- 5 Ideo de Zione fore ut dicatur, Hic et ille vir genitus est in ea: ipsumque stabiliturum eam, Excelsum:
- 6 Jehovam annumeraturum conscribendo populos; hic genitus est ibidem excellentissime.
- 7 Quapropter canunt æque ac exsultant omnes fontes vitæ meæ de te.

LXXXVIII.

Canticum *et* psalmus in posteris Korahi magistro symphonie ad pneumaticum instrumentum canendus, didascalicus Hemanis Esrachitæ.

- 2 O Jehova, Deus salutis meæ; interdiu clamo *et* noctu coram te.
- 3 Veniat in conspectum tuum oratio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum.
- 4 Nam saturata est malis anima mea, et vita mea ad sepulchrum pertingit.
- 5 Reputor cum descendentibus in sepulchrum: sum similis viro quem deficit virtus.
- 6 *Reputor* inter mortuos, semotus ut confossi jacentes *in* sepulchro, quorum non recordaris amplius, qui manu tua excisi sunt.
- 7 Ponis me in sepulchro omnium infimo; in tenebrosissimis, in profundis locis.
- 8 Super me incumbit excandescencia tua, adeo omnibus irrumpentibus tuis fluctibus affligis vehementissime.
- 9 Procul amoves notos meos a me, proponis me in summam abominationem eis; ita inclusum, ut non possim evadere.
- 10 Oculus meus mœret præ afflictione:

Invoco te, Jehova, totum diem, pando ad te manus meas.

- 11 An mortuis efficies opus mirabile? aut expertes vitæ celebraturi te exsurgent potentissime?
- 12 An enarraretur in sepulchro benignitas tua? fides tua in perditione?
- 13 An cognosceretur in tenebris mirabile *opus* tuum, et justitia tua in terra oblivionis?
- 14 Atqui ego ad te, Jehova, vociferor; et unoquoque mane oratio mea prævenit te.
- 15 Quare, o Jehova, abjicis me? abscondis faciem tuam a me?
- 16 Pauper sum et moribundus a concussione, perferens terrores tuos animi pendeo.
- 17 Super me transeuntibus æstibus tuis, conturbationes tuæ rescindunt me:
- 18 Circumdantes me sicut aquæ toto die, cingentes me pariter.
- 19 Procul amoves a me amicum et socium, notis meis *sum* tenebroso loco.

LXXXIX.

Didascalica ode Eθανis Esrachitæ.

- 2 BENIGNITATES Jehovæ *in* seculum canam: in quamque generationem notam faciam fidem tuam ore meo.
- 3 Nam statuo fore, ut in seculum benignitas ædificetur; in cœlis ipsis stabilias fidem tuam, *qua dixisti*,
- 4 Pepigi fœdus cum electo meo, juravi Davidi servo meo:
- 5 Usque in seculum me, stabiliturum semen tuum et ædificaturum in quamque generationem solium tuum summe.
- 6 Quapropter celebrant cœli mirabile *opus* tuum, Jehova; etiam fidem tuam in congregatione sanctorum.

- 7 Quis enim in superiore nube par æstimetur Jehovahæ? assimiletur Jehovahæ inter filios fortium?
- 8 Deus fortis *est* formidabilis in consilio sanctorum plurimum; et reverendus supra omnia, quæ circumstant eum.
- 9 O Jehova, Deus exercituum, quis *est* par tibi robustus, Jah? nam fides tua circumvestit te.
- 10 Tu dominaris in superbiam maris; quum attollunt se fluctus ejus, tu reprimis eos.
- 11 Tu contrivisti tanquam confossum Ægyptium; brachio roboris tui dispersisti inimicos tuos.
- 12 Tui *sunt* cœli, etiam tua *est* terra; orbem habitabilem et ea, quæ ipsum implent, tu fundasti.
- 13 Aquilo et Auster, quos tu creasti; Thabor et Hermon de nomine tuo cantant.
- 14 Tibi brachium *est* cum potentia, robusta *est* manus tua, elata dextera tua.
- 15 Justitia et judicium habitaculo solii tui, benignitas et fides præeunt faciei tuæ.
- 16 Beatus *est* populus, qui agnoscunt clangorem, *qui* in luce faciei tuæ pergunt, Jehova:
- 17 In nomine tuo exsultant toto die, et in justitia tua attollunt se:
- 18 Nam decus roboris eorum es: et pro benevolentia tua attollitur cornu nostrum.
- 19 Jehovahæ enim *est* scutum nostrum, et Sancti Israelis, Regis nostri.
- 20 Tunc allocutus per visionem eum, quem benigritate prosequeris, dixisti: Disposui auxilium contra robustum, extuli electum e populo.
- 21 Inveni Davidem servum meum, oleo sancto meo unxi eum;
- 22 Quicum manus mea sit stabilis, etiam brachium meum fortificet eum.

- 23 Non aget exactorem inimicus contra eum, et deditus iniquitati non affliget eum:
- 24 Sed contundam a facie ejus hostes ejus, et osores ejus plaga afficiam.
- 25 Adeo fides mea et benignitas mea affutura est ei, ut in nomine meo extollatur cornu ejus.
- 26 Nam imponam mari manum ejus, et fluminibus dexteram ejus.
- 27 Ipse inclamabit me, Tu pater mi, mi *Deus* fortis, et rupes salutis meæ!
- 28 Etiam ego primogenitum constituam eum, excelsum supra reges terræ.
- 29 In seculum servabo ei benignitatem meam, et fœdus meum fidum erit ei:
- 30 Disponamque in æternum semen ejus, et solium ejus, ut *sunt* dies cœlorum.
- 31 Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint:
- 32 Si statuta mea prophanaverint, et præcepta mea non observaverint:
- 33 Visitabo quidem virga defectionem eorum, et plagis iniquitatem eorum:
- 34 Sed benignitatem meam non irritam faciam ab eo, neque mentiar contra fidem meam.
- 35 Non prophanabo fœdus meum, et pronunciatum labiorum meorum non mutabo.
- 36 Semel juravi per sanctitatem meam, Davidi non mentiar:
- 37 Semen ejus in seculum fore; et solium ejus ut solem coram me,
- 38 Ut luna stabile fore in seculum; et ut testes in superiore nube fideles summe.
- 39 At tu abjecisti et sprevisti; excanduisti contra unctum tuum.

- 40 Detestatus es fœdus servi tui, prophanasti *de-*
jiciens in terram coronamentum ejus.
- 41 Dirupisti omnes macerias ejus: exposuisti muni-
tiones ejus contritioni.
- 42 Diripuerunt eum omnes viatores, est probro vi-
cinis suis.
- 43 Extulisti dexteram hostium ejus, lætificasti om-
nes inimicos ejus.
- 44 Etiam retudisti acumen gladii ejus, neque stabi-
livisti eum in bello.
- 45 Fecisti ut cesset nitor ejus, et solium ejus in
terram detrusisti.
- 46 Curtasti dies adolescentiæ ejus, operuisti eum
pudore summe.
- 47 Quousque Jehova? abscondes te in æternum?
ardebit tanquam ignis excandescencia tua?
- 48 Recordare mei, quam temporarius sim: quorsum
in vanum creasses omnes filios hominis?
- 49 Quis vir ita vivat, ut non experiatur mortem?
eripiat se ipsum a sepulchro excellentissime?
- 50 Ubi *sunt* benignitates illæ pristinæ, Domine,
quas juraveras Davidi per fidem tuam?
- 51 Recordare, Domine, opprobrii servorum tuorum:
me gestare in sinu meo *opprobrium* omnium
maximorum populorum:
- 52 Quo affecerunt inimici tui, Jehova; quo affece-
runt vestigia Christi tui.
- 53 Benedictus *sit* Jehova in seculum. Amen,
iterumque Amen.
-

QUARTUS LIBER PSALMORUM.

XC.

Oratio Mosis, viri Dei.

- 1 O Domine, tu habitaculum fuisti nobis in qua-
que generatione.
- 2 Quum nondum montes editi essent, aut for-
masses terram orbemque habitabilem, denique
inde a seculo et usque in seculum tu *Deus* for-
tis es.
- 3 Redigis mortalem eo usque, ut sit contritus; di-
cens, Revertimini, filii hominum.
- 4 Nam mille annos si prætereat, *sunt* in oculis
tuis ut dies hesternus vigiliaque nocturna.
- 5 Inundatione abripis eos, somnus sunt: ipso
mane *sunt* ut fœnum transiens:
- 6 Ipso mane, quo effloruit, transiens; ipso vespere
excisus atque exarescens.
- 7 Quando consumimur ira tua, et tuo æstu con-
turbamur:
- 8 Proponis iniquitates nostras tibi, occulta nostra
lumini faciei tuæ.
- 9 Nam omnes dies nostri divertunt excandescencia
tua; consumimus annos nostros; similes sermoni
sunt.
- 10 In diebus ipsis annorum nostrorum *sunt* septua-
geni anni, aut (ut *simus* valentissimi) octogeni
anni; etiam excellentissimum eorum laboriosum
est et molestum, quo festine exciso avolamus.
- 11 Quis agnoscit robur iræ tuæ aut excandescentiæ
tuæ, secundum timorem tuum?
- 12 Numerare dies nostros ita doce *nos*, ut induca-
mus animum sapientem.
- 13 Revertere, Jehova! Quousque? et pœniteat te
propter servos tuos!

- 14 Satia nos unoquoque mane benignitate tua, ut cantemus et lætemur omnibus diebus nostris.
- 15 Lætifica nos, ut dies *multos* afflixisti nos; annis *multis* experti sumus malum.
- 16 Perspicuum sit erga servos tuos opus tuum, et decor tuus in filiis eorum.
- 17 Denique adsit amœnitas Jehovæ Dei nostri nobis: et opus manuum nostrarum institue in nobis; ipsum, inquam, opus manuum nostrarum institue.

XCI.

- 1 CONSIDENS in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis indesinenter pernoctans,
- 2 Dico, In Jehova *est* receptus meus, et propugnaculum meum, Deus meus *est*, cui confido.
- 3 Quandoquidem ipse erepturus est te a laqueo aucupantis, a peste ærumnosissima:
- 4 Ala sua protecturus te, quum sub alas ipsius te receperis; clypeus et parma *est* fides ipsius:
- 5 Ne timeto a pavore nocturno, a sagitta volante interdiu:
- 6 A peste in caligine pervadente, a lue vastante in meridie.
- 7 Cadentibus ab *altero* latere tuo mille, et decies mille a dextera tua, ad te non accedet.
- 8 Tantum oculis tuis intueberis et retributionem improborum videbis.
- 9 Quum tu Jehovam, *Deum* receptus mei excelsum, statueris habitaculum tuum.
- 10 Non dabitur occasio, ut attingat te malum, et plaga non appropinquabit ad tentorium tuum.
- 11 Nam angelis suis præcipiet de te, ut conservent te in omnibus viis tuis:

- 12 Ambabus palmis sustineant te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.
- 13 Super ferocem leonem et aspidem incedes, conculcabis juvenem leonem et draconem.
- 14 Quia in me (*inquit Deus*) amore propendet, ideo liberabo eum; in edito collocabo eum, quia agnoscit nomen meum:
- 15 Simulac invocaverit me, exaudiam eum; ipsi adero in angustia: eripiam eum, et honore afficiam eum:
- 16 Longitudine dierum satiabo eum, denique efficiam, ut fruatur salute mea.

XCII.

Psalmus et canticum in diem sabbathi.

- 2 BONUM est celebrare Jehovam, et psallere nomini tuo, o Excelse;
- 3 Annunciare unoquoque mane benignitatem tuam, et fidem tuam quibusque noctibus:
- 4 Ad decachordum et ad nablium, ad citharam cum meditatione.
- 5 Quæ lætitia afficis me, Jehova, opere tuo: de factis manuum tuarum cantabo.
- 6 Quam magna sunt facta tua, Jehova! valde profundæ sunt cogitationes tuæ.
- 7 Vir brutus non agnoscit, et stultus non animadvertit istud;
- 8 Quum germinant improbi velut herba, florentque omnes qui operam dant iniquitati *fore* ut perdantur usque in æternum:
- 9 Te autem, o Excelse, in seculum *esse* Jehovam.
- 10 Nam ecce, inimici tui, Jehova; nam ecce, inimici tui pereunt: dissiliunt omnes, qui operam dant iniquitati.

- 11 Attollis vero tanquam monocerotis cornu meum,
perfundendo me oleo virente:
- 12 *Illa* intuente oculo meo in observatoribus meis;
de insurgentibus contra me maleficis audientibus
auribus meis.
- 13 Justus ut palma germinabit, ut cedrus in Li-
bano crescet.
- 14 Plantati in domo Jehovæ, in atriis Dei nostri
germina profundent.
- 15 Adhuc abundabunt in canitie, pingues et viren-
tes erunt,
- 16 Ad annunciandum rectum esse Jehovam, rupem
meam; neque *esse* ullam iniquitatem in eo.

XCIII.

- 1 JEHOVA regnat celsitudine indutus; indutus
Jehova robore se accingit: etiam stabilitur orbis
habitabilis, ne dimoveatur.
- 2 Stabile *est* solium tuum ab illo tempore, inde
a seculo tu *regnas*.
- 3 *Utut* attollant flumina, o Jehova, attollant
flumina sonum suum, attollant flumina fragorem
suum:
- 4 Sonis aquarum multarum, magnificis fluctibus
irrupentibus maris magnificentior *est* in alto
Jehova.
- 5 Testimonia tua firma *sunt* valde: domui tuæ
decora sanctitas, o Jehova, in longitudinem
dierum *est*.

XCIV.

- 1 O fortis *Deus* ultionum, Jehova; o *Deus* for-
tis ultionum, illucesce!

- 2 Attollere, o judex terræ; redde retributionem superbis!
- 3 Quousque improbi, o Jehova, quousque improbi exsultabunt?
- 4 Eructantes loquentur superbe? sese prædicabunt omnes, qui operam dant iniquitati?
- 5 Populum tuum, Jehova, conterent? et possessionem tuam affligent?
- 6 Viduam et peregrinum interficient, ac pupillos occident?
- 7 Dicentes, Non respicit Jah; neque animadvertit Deus Jacobi?
- 8 Animadvertite, o brutissimi in populo: et stultissimi, quando intelligentes eritis?
- 9 An plantator auris, an non audiat? aut formato, oculi an non intueatur?
- 10 An castigator gentium, an non reprehendat? qui docet homines scientiam, *an non agnosceret?*
- 11 Jehova cognoscit cogitationes hominum, esse vanitatem ipsam.
- 12 Beatus ille vir, quem castigas, Jah, et quem ex lege tua doces:
- 13 Ad præstandum quietem ei a diebus adversitatis, dum foditur improbro fovea.
- 14 Non enim deserit Jehova populum suum, et possessionem suam non derelinquit:
- 15 Sed usque ad justitium reversurum est judicium, et post illud omnes recti corde.
- 16 Quis surrecturus fuisset pro me contra maleficos? quis se ipsum stitisset pro me contra eos, qui operam dant iniquitati?
- 17 Nisi Jehova pleno auxilio fuisset mihi, parum abest quin habitasset *in* loco silentii vita mea.

- 18 Quum dico, Dimovetur pes meus; benignitas tua,
o Jehova, sustentat me.
- 19 Quum multæ sunt cogitationes meæ apud me,
consolationes tuæ oblectant animam meam.
- 20 An consociaretur tibi solium ærumnarum, for-
mantis molestiam præter statutum,
- 21 Turmatim convenientium contra animam justi, et
sanguinem innoxium condemnantium?
- 22 Imo, *est* Jehova mihi pro edito loco, et Deus
meus pro rupe receptus mei:
- 23 Qui convertit contra eos iniquitatem ipsorum, et
malitia ipsorum excindit ipsos; excindit ipsos
Jehova, Deus noster.

XCV.

- 1 AGITE, cantemus Jehovæ; clangamas rupi sa-
lutis nostræ!
- 2 Eamus ante faciem ejus cum gratiarum actione,
cum psalmis clangamus ei!
- 3 Nam Deus *fortis* magnus *est* Jehova, et rex
magnus supra omnes Deos.
- 4 In cujus manu *sunt* ima vestigia terræ, penes
quem *sunt* vires montium:
- 5 Cujus est ipsum mare, ut qui fecit illud; et
arida, *quam* manus ejus formarunt.
- 6 Venite, incurvemus nos et procumbamus; fle-
ctamus genua coram Jehova, qui fecit nos!
- 7 Quum ipse *sit* Deus noster, nos vero populus
pastus ejus, et grex ductus ejus; hodie, si vocem
ejus audieritis,
- 8 Ne obduretis animum vestrum, ut *in* contentione,
ut die tentationis in deserto:
- 9 Ubi tentaverunt me majores vestri; probaverunt
me, etiam experti sunt opus meum.

- 10 Quadraginta annis fastidio habui generationem *illam*; dicens, Populus sunt errabundi animo, et sunt ignorantes viarum mearum:
11 Quibus juravi in ira mea, eos non ingressuros in requiem meam.

XCVI.

- 1 CANITE Jehovahæ canticum novum, canite Jehovahæ tota terra.
2 Canite, Jehovahæ, benedicite nomini ejus; prædicate de die in diem salutem ejus.
3 Narrate in gentibus honorem ejus, omnibus populis mirabilia ejus opera:
4 Magnum Jehovaham et laudatum valde, reverendum esse supra omnes deos.
5 Nam omnes dii populorum *sunt* idola, Jehova vero cœlos fecit.
6 Gloria et decor coram eo, robur et ornatus in sanctuario ejus *sunt*.
7 Cedite Jehovahæ, familiæ populorum, cedite Jehovahæ honorem et laudem.
8 Cedite Jehovahæ honorem nominis ejus; afferte munus et venite ad atria ejus.
9 Incurvate vos Jehovahæ, *honorem exhibentes* in decore sanctitatis; formidate a conspectu ejus tota terra.
10 Dicite in gentibus, Jehova regnat; etiam stabilietur orbis habitabilis, ne dimoveatur: judicaturus est populos rectissime.
11 Lætabuntur cœli, et exsultabit terra, perstrepet mare et quæ ipsum implent.
12 Exsultabit ager et quicquid *est* in eo, tunc cantabunt omnes arbores silvæ:
13 Ante faciem Jehovahæ, quum venerit; nam venit

ad judicandum terram: judicaturus est orbem habitabilem per justitiam, et populos per fidem suam.

XCVII.

- 1 JEHOVA regnat: exsultet terra! lætentur regiones plurimæ!
- 2 Nubes et caligo circumstant eum: justitia et iudicium locum solii ejus.
- 3 Ignis ante eum procedit, et inflamat circumquaque hostes ejus.
- 4 Perlustrant fulgura ejus orbem habitabilem, videns formidat terra.
- 5 Montes ut cera liquefiunt a præsentia Jehovæ a presentia domini totius terræ.
- 6 Indicant cœli justitiam ejus, adeo ut vidant omnes populi honorem ejus.
- 7 Pudore suffundantur omnes colentes sculptile, qui se jactant de idolis: incurvanto se *honorem exhibentes* ei omnes angeli.
- 8 Audiens lætatur Zion, exsultantque filiæ Judæ, propter judicia tua, o Jehova.
- 9 Tu enim es, Jehova, excelsus supra omnem terram; valde elatus es supra omnes angelos.
- 10 Amantes Jehovæ, odio habete malum: servans animas suorum, quos benignitate prosequitur, e manu improborum eripit eos.
- 11 Lux sata est justo, et rectis animo lætitia.
- 12 Lætamini, justi, in Jehova, et celebrate memoriam sanctitatis ejus.

XCVIII.

Psalmus.

- 1 CANTATE Jehovæ canticum novum, quia opera mirabilia fecit: salutem attulit ei dextera ipsius, et brachium sanctitatis ipsius.

- 2 Notam fecit Jehova salutem suam, ante oculos ipsarum gentium revelavit justitiam suam.
- 3 Recordatus est benignitatis suæ, et suæ fidei erga domum Israelis: vident omnes fines terræ salutem Dei nostri.
- 4 Clangite Jehovæ tota terra; fragore edito cantate et psallite.
- 5 Psallite Jehovæ cithara, cithara et psalmodia.
- 6 Tubis et sono buccinæ clangite coram rege Jehova.
- 7 Perstrepat mare et quæ implent ipsum; orbis habitabilis et habitantes in eo.
- 8 Flumina complodant manu, pariter montes cantent,
- 9 Coram Jehova, quia advenit ad judicandum terram, judicaturus est orbem habitabilem juste, et populos rectissime.

XCIX.

- 1 JEHOVA regnat, commoveantur populi! insidens Cerubinis *regnat*, nutet terra!
- 2 *Regnat* Jehova Zione magnus; etiam altus *est* supra omnes populos.
- 3 Celebrent nomen tuum magnum et reverendum, sanctum esse.
- 4 *Tu* quoque, robustissime rex judicium amans, tu, *inquam*, constituisti quod est rectissimum; judicium et justitiam in Jacobo tu perficis.
- 5 Exaltate Jehovam Deum nostrum, et incurvate vos *honorem exhibentes* ad scabellum pedum ejus; *quia* sanctus est.
- 6 Mosen et Aaronem cum sacerdotibus ipsius; Samuelemque cum invocantibus nomen ipsius; inclamantes Jehovam, ipse illico exaudivit eos:

- 7 In columna nubis allocutus est eos, observantes testimonia ipsius et statutum, *quod* dederat eis.
- 8 Jehova, Deus noster, tu exaudivisti eos: *Deus* fortis condonans fuisti eis, etiam quum ultionem sumeres de actionibus eorum.
- 9 Exaltate Jehovam, Deum nostrum, et incurvate vos *honorem exhibentes* ad montem sanctitatis ejus: quia sanctus *est* Jehova, Deus noster.

C.

Psalmus pro gratiarum actione.

- 1 CLANGITE Jehovæ, omnes *incolæ* terræ.
- 2 Colite Jehovam cum lætitia, venite in conspectum ejus cum cantu.
- 3 Agnoscite Jehovam esse Deum, ipsum effecisse nos (non autem nos *ipsos*) populum suum et gregem pastus sui.
- 4 Ingedimini portas ejus cum gratiarum actione, atria ejus cum laude: gratias agite ei, benedicite nomini ejus.
- 5 Nam bonus *est* Jehova, in seculum *est* benignitas ejus; et usque ad generationem quamque fides ejus.

CI.

Davidis psalmus.

- 1 BENIGNITATEM et jus canam: tibi, o Jehova, psallam.
- 2 Animadvertam via integra, quando venturus sis ad me: indesinenter ambulabo in integritate animi mei, intra domum meam.
- 3 Non proponam mihi ob oculos rem nefariam: factum declinantium odi, non adhærebit mihi.

- 4 Animus perversus recedet a me; malum non agnoscam.
- 5 Lingua lædentem *apud* me clam proximum suum, ipsum excindam: elatum oculis et tumentem animo, ipsum non potero *ferre*.
- 6 Oculi mei *attendent* ad veraces terræ, ut considerant mecum: ambulans via integra, is ministrabit mihi.
- 7 Non habitabit intra domum meam faciens dolum; loquens mendacia non stabilietur coram oculis meis.
- 8 Singulis matutinis excindam omnes improbos terræ, ad rescindendum a civitate Jehovæ omnes, qui operam dant iniquitati.

CII.

Oratio pro paupere, quum obruitur et ante Jehovam effundit meditationem suam.

- 2 JEHOVA, audi orationem meam; et vociferatio mea ad te perveniat.
- 3 Ne abscondas faciem tuam a me, quo die *est* angustia mihi: inclina ad me aurem tuam, quo die inclamo; festinanter exaudi me.
- 4 Nam consumuntur ut fumus dies mei, et ossa mea ut focus exardescunt.
- 5 Percussum tanquam herba exarescit cor meum, quia obliviscor comedere cibum meum.
- 6 Præ voce gemitus mei adhærescit os meum carni meæ.
- 7 Similis sum plateæ deserti; sum tanquam bubo vastitatum.
- 8 Assidue sum similis passeri, solitario in tecto.
- 9 Toto die probro afficiunt me inimici mei; insanientes contra me, per me jurant.

- 10 Nam cinerem tanquam panem comedo, et portiones meas cum fletu misceo,
11 Propter indignationem tuam, et ferventem iram tuam; quia sustulisti me, et abjecisti me.
12 Dies mei similes *sunt* umbræ inclinatæ: et ego sicut herba exarui.
- 13 Tu autem, Jehova, in seculum permanes, et recordatio tui in quamque generationem.
14 Tu surgens misereberis Zionis: quia tempus est faciendi gratiam ei, quia advenit statum tempus,
15 Quo delectentur servi tui lapidibus ejus, et pulveri ejus gratiam faciant,
16 Ut reveantur gentes nomen Jehovæ, et omnes reges terræ honorem tuum;
17 Quum ædificans Jehova Zionem, apparuerit in honore suo.
18 Respexerit ad orationem nudatissimi, et non spreverit orationem eorum.
19 Conscribatur hoc in generationem posteram, ut populus recreatus laudet Jah:
20 Quod prospectaverit ex alto *loco* sanctitatis suæ, Jehova e cœlis in terram intuitus sit,
21 Ad exaudiendum suspirium vincti, ad solvendum eos, qui jam traduntur morti;
22 Ut enarrent Zione nomen Jehovæ, et laudem ejus Hierosolymis:
23 Congregantibus se populis simul et regnis ad colendum Jehovam.
- 24 Affligit *quidem* in hac via vires meas, curtat dies meos:
25 *Sed* dico, Mi Deus fortis, ne auferas me mediis diebus meis; per generationem æternam *sunt* anni tui.
26 *Antequam* terram fundasses, et opus manuum tuarum *essent* cœli.

- 27 Ista peritura sunt, tu autem permanes; ista, inquam, omnia ut vestimentum veterascent, ut indumentum mutabis ea, atque mutabuntur:
 28 Tu vero idem *es*, et anni tui non finiuntur.
 29 Filii servorum tuorum habitabunt, et semen eorum stabilietur coram te.

CIII.

Ode Davidis.

- 1 BENEDIC, anima mea, Jehovæ; et omnia intestina mea, nomini sanctitatis ejus.
 2 Benedic, anima mea, Jehovæ; et ne obliviscaris ullius beneficiorum ejus:
 3 Qui condonat omnes iniquitates tuas, qui medetur omnibus morbis tuis:
 4 Qui vindicat a fovea vitam tuam, qui circumtegit te benignitate et miserationibus.
 5 Quo satiante bonis quibusque os tuum, servas te recentem tanquam aquila, *tanquam* pueritia tua.
 6 Facit quæ justa sunt Jehova, et judicia omnibus oppressis.
 7 Notas fecit vias suas Mosi, posteris Israelis actiones suas.
 8 Misericors et gratosus Jehova, longanimis et multus benignitate.
 9 Non in æternum litigat, neque in seculum *iram* asservat;
 10 Non secundum peccata nostra facit nobis, neque secundum iniquitates nostras refert nobis;
 11 Sed quam alti sunt cœli supra terram, prævalet benignitas ejus erga timentes eum:
 12 Quam longe abest oriens ab occidente, longe amovet a nobis defectiones nostras.
 13 Ut miseretur pater filiorum, miseretur Jehova timentium ipsum.

- 14 Nam ipse novit figmentum nostrum, memor pulverem nos esse:
- 15 Ipsius mortalis similes foeno dies esse; sicut flos agri, sic florere *ipsum*.
- 16 Quum ventus pervadit ipsum, mox non esse, neque agnosci ipsum amplius a loco suo.
- 17 At benignitas Jehovæ inde a seculo usque in seculum *est* erga timentes ipsum, et justitia ejus erga nepotes:
- 18 Erga observantes fœdus ipsius, et erga memores mandatorum ejus, ad faciendum ea.
- 19 Jehova in cœlis stabilivit solium suum, et regnum ipsius omnibus præsidet.
- 20 Benedicite Jehovæ, angeli ejus valentissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus.
- 21 Benedicite Jehovæ, omnes exercitus ejus, ministri ejus facientes placitum ejus.
- 22 Benedicite Jehovæ, omnia opera ejus in omnibus locis dominationis ejus; benedic, anima mea, Jehovæ.

CIV.

- 1 BENEDIC, anima mea, Jehovæ.

Jehova, Deus mi, magnus es valde; decorem et majestatem induisti,

- 2 Amiciens te luce tanquam panno, extendens cœlos tanquam aulæum:
- 3 Qui contignat in aquas cœnacula sua; qui disponit densas nubes *in* vehiculum suum, qui itat super alas venti:
- 4 Qui facit angelos suos ventos, ministros suos ignem flammantem:
- 5 Fundavit terram super bases ejus, ne dimoveretur in seculum et perpetuum.

- 6 Abyſſo ut indumento operueras eam, ſupra montes ſtantibus aquis:
- 7 Ex increpatione tua diffugerunt, a voce tonitru tui accelerarunt *fugam*.
- 8 Conſcenderunt *per* montes, deſcenderunt *per* convalles; in locum, quem fundaveras ipsis.
- 9 Terminum oppoſuiſti ne tranſeant; ne revertantur ad operiendum terram.
- 10 Qui emittis fontes per valles, *ut* inter montes ambulent,
- 11 Potum præbeant omnibus animantibus agri, frangant onagri ſitim ſuam:
- 12 Juxta illos volatilia cœli habitent, e medio frondium edentia vocem.
- 13 Qui irrigat montes e cœnaculis ſuis, ut a fructu operum tuorum ſatietur terra:
- 14 Faciens ut germinet fœnum ad jumentum, et herba ad hominis uſum; ut depromant cibum e terra.
- 15 Qui vino lætificat cor mortalis, nitidam efficit faciem oleo, et cibo cor mortalis fulcit.
- 16 Satiantur arbores Jehovæ, cedri Libani, quas plantavit:
- 17 Ubi aviculæ nidificent; abietes domicilia ciconiæ.
- 18 Montes excelsiſſimi rupicaprarum, petræ montanorum murium perfugium.
- 19 Statuit lunam in ſtata tempora, ſolem agnoſcentem occaſum ſuum.
- 20 Disponis tenebras, ut ſit nox: qua erepunt omnia animantia ſilvæ;
- 21 Juvenes leones rugientes ad prædam, et quidem quærendo a *Deo* forti eſcam ſuam.
- 22 Exorto ſole recipiunt ſe, et in luſtris ſuis recubant.

- 23 Prodit homo ad opus suum, et ad culturam suam usque ad vesperam.
- 24 Quam ampla sunt opera tua, o Jehova! *quam* ea omnia sapienter fecisti! quam plena est terra possessione tua!
- 25 *In* ipso mari magno et spatioso, illic reptilia *sunt*, atque innumera; animantia, parva cum magnis.
- 26 Illic naves ambulant; balæna, quam formasti ludendo in eo.
- 27 Omnia ista in te expectationem habent, ut des escam ipsorum tempore suo:
- 28 Te dante ipsis colligunt, aperiente manum tuam satiantur bono:
- 29 Abscondente te faciem tuam conturbantur; recipiente spiritum eorum expirant et in pulverem suum revertuntur:
- 30 Emittente spiritum tuum recreantur: denique renovas faciem terræ.
- 31 Sit honor Jehovæ in seculum, lætetur Jehova in operibus suis!
- 32 Quo intuentem in terram tremit illa, attingente ipsos montes, fumant.
- 33 Canam Jehovæ in vita mea, psallam Deo meo, quantisper ero.
- 34 Suavis erit de eo meditatio mea, ego lætabor in Jehova.
- 35 Deficiant peccatores a terra, et improbi amplius non sint: Benedic, anima mea, Jehovæ.
- HALLELU-JAH!

CV.

- 1 CELEBRATE Jehovam, proclamate nomen ejus; notas facite in populis actiones ejus.

- 2 Canite ei, psallite ei; confabulamini de omnibus mirabilibus ejus operibus.
- 3 Laudibus vos efferte in nomine sancto ejus, lætetur animus quærentium Jehovam.
- 4 Requirite Jehovam et robur ejus, quærite faciem ejus jugiter.
- 5 Recordamini mirabilium ejus operum, quæ fecit: prodigiorum ejus et judiciorum oris ejus.
- 6 O semen Abrahami servi ejus, o electi ejus filii Jacobi:
- 7 *Hic est* Jehova Deus noster, in tota terra judicia ejus *sunt*.
- 8 Recordatur in seculum fœderis sui; verbi, *quod* præcepit, in mille generationes,
- 9 Quod pepigit cum Abrahamo, et juramenti sui *præstiti* Isaaco.
- 10 Quod præstitit Jacobo in statutum; Israeli *in* fœdus perpetuum:
- 11 Dicendo, Tibi daturus sum terram Canaanis: funiculum possessionis vestræ.
- 12 Quamvis essent homines pauci, plane pauci et inquilini in ea;
- 13 Itarentque a gente in gentem, a regno in populum alium:
- 14 Non permisit cuiquam opprimere eos, etiam reprehendit propter eos reges;
- 15 Ne attingitote (*inquiens*) unctos meos, et prophetas meos ne afficitote malo.
- 16 Quum advocans famem super terram, omnem scipionem panis fregit;
- 17 Miserat ante eos virum præstantem, *qui* ad servitutem venditus erat, Josephum.
- 18 Cujus pedes affligerunt compede, ferrum subivit ipse;
- 19 Usque ad tempus, quo erat adventurum verbum ipsius: sermo Jehovæ probavit eum.

- 20 Mittens rex expediri jussit eum, et dominator populorum idem solvit eum:
- 21 Præposuit eum dominum familiæ suæ, et dominatorem in totam possessionem suam:
- 22 Ut vinciret principes ejus ex animo suo, et seniores ejus informaret.
- 23 Deinde venit Israel in Ægyptum, et Jacob peregrinatus est in regione Chami.
- 24 Ubi quum fecisset *Deus*, ut foetificaret populus suus valde, et potentiores eum effecisset hostibus suis;
- 25 Mutavit animum illorum, ut odio haberent populum suum, ut machinarentur contra servos suos.
- 26 Misit Mosen servum suum, Aaronem quem elegerat:
- 27 *Qui* exposuerunt apud eos verba signorum ejus, et prodigiorum in regione Chami.
- 28 Misit tenebras, et obtenebrarunt eam, neque rebellarunt *signa* contra verbum ejus.
- 29 Mutaverat aquas illorum in sanguinem, et morte affecerat pisces eorum.
- 30 Abunde produxerat terra illorum ranas, invadentes penetralia regum illorum.
- 31 Simulac edixit, advenerat colluvies *animalium*, pediculi in totum terminum eorum.
- 32 Reddiderat pluvias eorum grandinem, ignem maxime flammantem in regione illorum:
- 33 Quibus percussit vites illorum, et ficus illorum; confregitque arbores termini illorum.
- 34 Simulac edixit, advenerat locusta et melolontha, eaque innumera.
- 35 Quæ comedit omnem herbam regionis eorum, comeditque fructum terræ illorum.
- 36 Tandem percussit omne primogenitum in regione illorum, principium omnis potentiæ illorum.

- 37 Tum eduxit eos cum argento et auro, nec fuit in tribubus ejus qui labaret.
- 38 Lætati sunt Ægypti quum exirent hi, quia irruerat pavor horum super ipsos.
- 39 Expandit nubem pro tegumento, et ignem ad illustrandum noctem.
- 40 Petente *populo* adduxit coturnices; et pane cœlorum satiavit eos.
- 41 Aperuit rupem, et effluerunt aquæ, ambulantes per siticulosa *loca ut* fluvius.
- 42 Quia recordabatur verbi sanctitatis suæ cum Abrahamo servo suo *habiti*.
- 43 Ideo eduxit populum suum cum gaudio, cum cantu electos suos.
- 44 Deditque eis regiones gentium, et laborem nationum possident hæreditario jure:
- 45 Ut observent statuta ejus, et leges ejus custodiant.

HALLELU-JAH.

CVI.

I HALLELU-JAH!

Celebrate Jehovam, quia bonus *est*; quia in seculum benignitas ejus.

2 Quis eloquatur summam potentiam Jehovæ? efferrat totam laudem ejus?

3 O beatos, qui observarent rationem *hanc*, qui exerceret justitiam quovis tempore.

4 Recordare mei, Jehova; pro benevolentia, qua prosequeris populum tuum, visita me salute tua.

5 Ut fruar bono electorum tuorum, ut læter lætitia gentis tuæ; ut me laudibus efferam cum possessione tua.

- 6 Peccavimus cum majoribus nostris, inique fecimus, improbe egimus.
- 7 Majores nostri in Ægypto non intellexerant mirabilia tua opera, non recordati fuerant amplitudinis benignitatum tuarum, sed occasionem dederant mutandi *eas* ad mare, ingressuri mare algosum.
- 8 Attamen servavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.
- 9 Nam ipso increpante mare algosum, exsiccatum est; et deduxit eos per abyssos ejus, quasi *per* desertum.
- 10 Ita servans eos a manu osoris, vindicavit eos a manu inimici.
- 11 Operuerunt vero aquæ hostes eorum, unus ex illis non est relictus *superstes*.
- 12 Quamvis credidissent verbis ejus, cecinissent laudem ejus:
- 13 Festinanter obliti sunt operum ejus, non perdurarunt ad consilium ejus.
- 14 Sed ducti concupiscentia, in deserto tentaverunt *Deum* fortem, in solitudine:
- 15 Adeo ut tradens illis, quod petebant, immitteret maciem in illos ipsos.
- 16 Postea invidentibus Mosi in castris, Aaroni sancto Jehovæ;
- 17 Aperiens se terra deglutivit Dathanem, et operuit cœtum Abirami:
- 18 Exardescensque ignis in cœtum illorum, flamma incendit improbos.
- 19 Fecerunt vitulum Chorebi, et incurvaverunt se *exhibentes honorem* fusili:
- 20 Et mutantes honorem suum in formam bovis comedentis herbam,

- 21 Obliti sunt Dei fortis servatoris ipsorum, qui fecerat *res* magnas in Ægypto:
- 22 Mirabilia opera in regione Chami, terribilia ad mare algosum.
- 23 Quamobrem dixerat se perditurum eos; nisi Moses electus ipsius constitisset in irruptione illa coram ipso, ad avertendum excandescentiam ipsius, ne perderet.
- 24 Spreverunt quoque terram desiderabilem, non credentes verbo ejus:
- 25 Et murmurantes in tentoriis suis, non auscultarunt voci Jehovæ.
- 26 Quapropter sublata manu sua *juravit* eis, se dejecturum eos in ipso deserto;
- 27 Etiam dejecturum semen eorum in gentibus, et dispersurum eos in regionibus.
- 28 Præterea copulaverunt se etiam cum idolo Pehoris, et comederunt sacrificia mortuorum;
- 29 Adeo provocantes *Deum* ad indignationem factis suis, ut irrumperet in eos plaga;
- 30 Donec consistente Pinehaso et iudicium exercente, coercita esset plaga illa:
- 31 Quod reputatum est ei ad justitiam, per quamque generationem usque in seculum.
- 32 Item ferventem iram concitarunt ad aquas contentionis; ita ut male fuerit Mosi propter ipsos:
- 33 Quum exacerbantibus illis spiritum ipsius, pronuntiasset labiis suis *exacerbationem suam*.
- 34 Non perdiderunt populos illos, de quibus edixerat Jehova ipsis:
- 35 Sed commiscentes se cum illis gentibus, didicerunt opera earum;
- 36 Colueruntque terricula earum, quæ ipsis fuerunt in tendiculum.

- 37 Nam sacrificaverunt filios suos, filiasque suas
dæmonibus.
- 38 Et effuderunt sanguinem innoxium, sanguinem
filiorum suorum, filiarumque suarum, quas sacri-
ficabant terriculis Canaanæorum; adeo ut conta-
minata esset cædibus istorum.
- 39 Et polluerunt se operibus suis, actionibus suis,
scortantes.
- 40 Quapropter accensus ira Jehova in populum
suum, abominatus est possessionem suam;
- 41 Adeo ut traderet eos in manum gentium, ut do-
minarentur in eos osores eorum:
- 42 Et opprimentibus ipsos inimicis suis, deprimerent
se sub manu eorum.
- 43 Multoties eripuit eos, quamvis ipsi exacerbassent
eum consilio suo, et attenuati essent propter ini-
quitatem suam:
- 44 Respiciens ad angustiam eorum, audito clamore
eorum.
- 45 Et recordantem pro eis fœderis sui, pœnituit
ipsum pro amplitudine benignitatum suarum:
- 46 Adeo ut conciliaret illis misericordiam coram
omnibus, qui captivos detinebant eos.
- 47 Serva nos, Jehova, Deus noster, et congrega
nos ex istis gentibus; ad celebrandum nomen
sanctum tuum, et laudationibus commendandum
nos in laude tua.
- 48 Benedictus Jehova, Deus Israelis, inde a se-
culo usque in seculum: et dicat totus populus,
Amen.

HALLELU-JAH!

QUINTUS LIBER PSALMORUM.

CVII.

- 1 CELEBRATE Jehovam, quoniam bonus *est*,
quoniam in seculum benignitas ejus.
- 2 Prædicent redempti Jehovæ, quos redemit ab angustia;
- 3 *Quos* ex regionibus congregavit: ab oriente et ab occidente, ab aquilone et a mari:
- 4 *Qui* errarunt per desertum, per solitudinem viæ; civitatem habitabilem non invenientes.
- 5 Famelici, etiam sitibundi; in quibus animus ipsorum sese obruebat:
- 6 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ex angustiis ipsorum eripuerit ipsos:
- 7 Et deduxerit ipsos per viam rectam; ut pervenirent ad civitatem habitabilem:
- 8 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus: et opera mirabilia ejus apud filios hominum:
- 9 Eum satiare animam appetentem, et animam famelicam explere bono.
- 10 Qui desident in tenebris et lethali umbra, vincti afflictione et ferro;
- 11 Quia dederunt occasionem mutandi sermones *Dei* fortis; et consilium Excelsi spreverunt;
- 12 Quorum deprimit ista molestia animum, *qui* labant, nemine adjuvante:
- 13 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ab angustiis ipsorum servaverit ipsos,
- 14 Eduxerit ipsos ex tenebris et umbra lethali, vincula ipsorum diruperit:
- 15 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus, et opera mirabilia ejus apud filios hominum:

- 16 Eum frangere valvas chalybeas et vectes ferreos succidere.
- 17 Stulti *qui* propter viam defectionis suæ, et propter iniquitates suas affligantur,
- 18 Quorum animus omnem cibum abominatur, qui pertingunt usque ad portas mortis:
- 19 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ab angustiis ipsorum servaverit ipsos,
- 20 Mittens verbum suum curaverit ipsos, et liberaverit a foveis ipsorum:
- 21 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus et opera mirabilia ejus apud filios hominum;
- 22 Et sacrificantes sacrificia gratiarum actionis, enarrant opera ejus cum cantu.
- 23 Qui descendunt *in* mare navibus, exercentes artem in aquis amplis:
- 24 Ipsi *qui* vident opera Jehovæ et mirabilia ejus in profundo:
- 25 Quemadmodum edicens constituat ventum procellosum, qui attollat fluctus illius:
- 26 *Quemadmodum* ascendant *ad* cœlos, descendant *ad* abyssos; anima ipsorum malo seipsam dissolvat,
- 27 Titubent, sese moveant tanquam ebrius; et tota peritia eorum absorbeatur:
- 28 Quum clamantes ad Jehovam in oppressione ipsorum, ex angustiis ipsorum eduxerit ipsos,
- 29 Restituerit procellam maliciæ, silentibus fluctibus illarum *aquarum*:
- 30 Et lætantes ipsos, postquam conticuerunt *fluctus*, deduxerit ad portum optatum:
- 31 Celebrent apud Jehovam benignitatem ejus et opera mirabilia ejus apud filios hominum,
- 32 Exaltentque eum in congregatione populi, et in consessu seniorum laudent eum.

- 33 Redigit flumina in desertum, et processus
aquarum in siticulosum solum:
- 34 Terram fructuosam in salsuginosam, propter ma-
litiam habitantium in ea.
- 35 Redigit desertum in stagnum aquarum, et ter-
ram siccaneam in processus aquarum:
- 36 Efficiens, ut habitent ibi famelici et constituent
civitatem habitabilem,
- 37 Et consitis agris ac plantatis vineis comparent
proventum fructuosum.
- 38 Qui ita benedicit eis, ut multiplicentur valde et
jumenta eorum non minuit.
- 39 Ut *contra* minuuntur atque incurvantur præ co-
arctatione mali et mœrore:
- 40 Quum effundens contemptum super ingenuos facit,
ut errent per inanitatem aviam:
- 41 Collocatque in edito egentem ab afflictione, et
disponit tanquam gregem familias:
- 42 Videant recti et lætentur, omnis vero nequitia
obdat os suum.
- 43 Quotusquisque sapiens est, qui observet ista,
ut animadvertantur benignitates Jehovæ?

CVIII.

Canticum *et* psalmus Davidis.

- 2 ERECTO animo meo, o Deus, canam et psal-
lam; etiam gloria mea.
- 3 Evigila, nablium et cithara: expergiscar *inde ab*
aurora:
- 4 Celebrabo te in populis, Jehova; et psallam tibi
in nationibus:
- 5 Magnam esse supra cœlos benignitatem tuam,
et ad superiores usque nubes veritatem tuam.
- 6 Exaltare supra cœlos, o Deus, et super totam
terram gloria tua:

- 7 Ut liberentur dilecti tui, serva dextera tua et exaudi me.
- 8 Deus locutus est per sanctitatem suam, exultabo; in partem obtineo Sichemum, et convallem Succotharum metior:
- 9 Meus Gilead, meus Menasse; et Ephraim robur capitis mei, Juda legislator meus *est*.
- 10 Moab pollubrum meum; supra Edomæum projiciam calceum meum; contra Palæstinam clangentem agam.
- 11 Quis deduceret me *in* civitatem munitam? quis duceret me Edomæam usque?
- 12 An non *tu*, o Deus, rejeceras nos, ut non procederes, o Deus, inter exercitus nostros?
- 13 Cedo nobis auxilium *tuum* ab hoste, alioquin vanitas *est* auxiliatio humana.
- 14 In Deo faciamus strenue, et ipse proculcabit hostes nostros.

CIX.

Magistro symphonie Davidis psalmus.

- 1 O Deus laudis meæ, ne surdum agas.
- 2 Nam os improbi et os dolosum contra me aperuerunt se; oblocuta sunt mihi lingua mendace:
- 3 Et verbis odiosis circumvenerunt me, oppugnantia me immerito.
- 4 Adversati sunt mihi loco dilectionis meæ, quæ eram *in* oratione;
- 5 Reponentes mihi malum pro bono, et odium pro dilectione mea.
- 6 Præfice illi improbum, qui adversans insistat ad dexteram illius:
- 7 Quum in jus venerit, abeat damnatus; et oratio illius illi sit crimini:

- 8 Sint dies illius pauci, curationem illius accipiat alter:
- 9 Sint filii illius pupilli, et uxor illius vidua:
- 10 Et indesinenter vagantes filii illius mendicent, quærantque *stipem* e locis desolatis suis:
- 11 Illaqueet scelerator, quicquid *est* illi; et diripiant extranei laborem illius:
- 12 Ne sit illi, qui protendat benignitatem; neque sit qui gratiam faciat pupillis illius:
- 13 Sit posteritas illius excidio *addicta*, in generatione altera deleatur nomen eorum:
- 14 In memoria sit iniquitas majorum illius apud Jehovam, et peccatum matris illius ne deleatur.
- 15 Sint coram Jehova jugiter, ut excindat e terra memoriam eorum.
- 16 Propterea quod non est recordatus exercere benignitatem; sed persecutus est virum pauperem egentemque et affectum ægritudine animi, ad afficiendum morte:
- 17 Et optavit, ut maledictio obveniret ei; neque oblectatus est benedictione, sed *ut* procul esset ab eo:
- 18 Ut indueretur maledictione velut chlamyde sua, et ingrederetur velut aqua intra eum, et velut oleum in ossa ejus.
- 19 Adsit illi; tanquam panno amiciat se, et pro zona jugiter se accingat ea.
- 20 Hoc *esto* præmium adversantium mihi a Jehova, et obloquentium malum contra animam meam.
- 21 Tu autem, o Jehova Domine, exerce *benignitatem* erga me propter nomen tuum; quia bona *est* benignitas tua, eripe me.
- 22 Nam pauper et egens sum; et cor meum confossum est in medio mei:

- 23 Ut umbra, quum declinat, abire cogor; exagitor
ut locusta:
24 Genna mea labant præ jejunio, et caro mea
emaciatur exhausta pinguedine:
25 Insuper ego probro sum illis; videntes me mo-
vent caput suum.
26 Auxiliare mihi, o Jehova Deus mi; serva me
pro benignitate tua:
27 Ut agnoscant manum tuam hanc esse, te Jeho-
vam fecisse hoc.
28 Utut maledicant ipsi, tu benedicito: qui insur-
rexerunt, quum erubuerint, lætetur servus tuus.
29 Induantur adversarii mei ignominia; et amiciant
se, tanquam pallio, pudore suo.
30 Celebrabo Jehovam valde ore meo, et in me-
dio multorum laudabo eum.
31 Quod assistat ad dexteram egentis, ut *ipsum*
conservet ab iis, qui abjudicant vitam illi.

CX.

Davidis psalmus.

- 1 DIXIT Jehova Domino meo, Sede ad dexte-
ram meam, donec disposuero inimicos tuos in
scabellum pedum tuorum.
2 Scipionem robustum tuum emissurus est Jehova
Zione, *dicens*, Dominare in medio inimicorum
tuorum.
3 Populus tuus *populus* voluntarius die copiarum
tuarum in decoris *locis* sanctitatis inde ab utero,
tibi *aderit* ros juventæ tuæ accuratissime.
4 Juravit Jehova, et non pœnitebit *eum*; tu *es*
sacerdos in seculum secundum ordinem Melchise-
deci.
5 Dominus, *qui sedet* ad dexteram tuam fran-
gens die iræ suæ reges,

- 6 Iudicium exercebit in gentes, complens corporibus, frangens caput, in regionibus plurimis.
 7 De torrente in via bibet; idcirco attollet caput.

CXI.

I ✠ HALLELU-JAH!

- Celebrabo Jehovam ex toto animo, ב in consilio rectorum et cœtu;
 2 א Magna opera Jehovæ, ו exposita omnibus, qui delectantur illis:
 3 ה Gloriosum et decorum opus ejus, ו et justitiam ejus perstantem in æternum.
 4 ו Memoriam comparavit mirabilibus suis; ה gratiosus et misericors Jehova.
 5 ז Escam dedit timentibus se, ו recordatus in seculum fœderis sui.
 6 ב Vim operum suorum indicavit populo suo, ב dando eis possessionem gentium.
 7 מ Opera manuum ejus *sunt* veritatis et judicii, ב constantia omnia mandata ejus:
 8 ס Fulra in æternum, in seculum, ש factaque fideliter et recte.
 9 פ Redemptionem mittens populo suo ז præcepit in seculum fœdus suum, פ sanctum et reverendum *haberi* nomen suum.
 10 ו Caput sapientiæ *est* reverentia Jehovæ; ש successus optimus omnibus facientibus ista; ה laus ejus perstat in æternum.

CXII.

I HALLELU-JAH!

- ✠ Beatus, quisquis reveretur Jehovam, ב in mandatis ejus delectatur valde.
 2 א Potens in terra futurum est semen ejus, ו generationi rectorum benedicatur:

- 3 **¶** Opes et divitiæ in domo ejus, **¶** et justitia ejus perstat in æternum.
- 4 **¶** Micat in tenebris lux justorum: **¶** graciosus *est* et misericors et justus.
- 5 **¶** Bonus quisque gratiose largitur et mutuo dat, **¶** moderatur res suas ex officio.
- 6 **¶** Quia in seculum non dimovetur, **¶** in memoria perpetua *est* justus.
- 7 **¶** A rumore malo non timet, **¶** erecto animo suo confisus Jehovæ.
- 8 **¶** Fultus animo suo non timet, **¶** donec videat *malum* in hostibus suis.
- 9 **¶** Dispergit, dat egentibus, **¶** justitia ejus perstat in æternum: **¶** cornu ejus elevatur honore.
- 10 **¶** Improbus autem videns indignatur, **¶** dentibus suis frendens contabescit, **¶** desiderium improborum perituum est.

CXIII.

- 1 **HALLELU-JAH!**
Laudate, servi Jehovæ, laudate nomen Jehovæ.
- 2 Sit nomen Jehovæ benedictum deinceps usque in seculum:
- 3 Ab ortu solis usque ad occasum ejus *sit* laudatum nomen Jehovæ.
- 4 Elatus supra omnes gentes Jehova *est*, supra ipsos cœlos gloria illius.
- 5 Quis *est* par Jehovæ, Deo nostro, qui altissime habitat:
- 6 Qui demississime perspicit, in cœlis et in terra.
- 7 Erigens e pulvere tenuem, e sterquiliniis elevans egentem,
- 8 Faciendo ut consideat cum ingenuis, cum ingenuis populi sui:

- 9 Faciens ut, quæ sterilis erat in familia, sedeat mater liberorum læta.

HALLELU-JAH!

CXIV.

- 1 EXEUNTE Israele ex Ægypto, familia Jacobi a populo peregrini sermonis:
2 Fuit Juda sanctitatis illius, Israel dominiorum illius.
3 Ipsum mare videns profugit, ipse Jordan divertit retrorsum.
4 Ipsi montes subsilierunt velut arietes, colles ut subrumæ pecudes.
5 Quid tibi erat, o mare, cur fugeres? o Jordan, *cur* diverteres retrorsum?
6 O montes, *cur* subsiliretis velut arietes? colles, velut subrumæ pecudes?
7 A præsentia Domini intreme terra, a præsentia Dei Jacobi:
8 Qui mutat ipsam rupem in stagnum aquarum, saxum adamantinum in fontem aquarum.

CXV.

- 1 NON nobis, Jehova, non nobis, sed nomini tuo da honorem, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.
2 Quare dicerent gentes, Ubi *est* nunc Deus istorum?
3 Atqui Deus noster in ipsis cœlis *est*; quicquid placet, facit.
4 Terriculis illarum argenteis et aureis, operi manuum humanarum,
5 Os *est* eis, sed non loquuntur; oculi *sunt* eis, sed non vident:

- 6 Aures *sunt* eis, sed non audiunt; nasus *est* eis, sed non odorantur:
- 7 Manus eis, sed non palpant: pedes eis, sed non ambulant: non mutiunt gutture suo.
- 8 Similes illis sunt, qui faciunt illa, quisquis confidit illis.
- 9 Israel, confide Jehovæ; auxilium horum et scutum horum est.
- 10 Vos e familia Aaronis confidite Jehovæ; auxilium horum et scutum horum est.
- 11 Timentes Jehovam, confidite Jehovæ; auxilium horum et scutum horum est.
- 12 Jehova recordatus nostri benedicet: benedicet familiæ Israelis, benedicet familiæ Aaronis:
- 13 Benedicet timentibus Jehovam, parvulis simul ac magnis.
- 14 Augebit Jehova vos, vos et filios vestros.
- 15 Benedicti eritis Jehovæ, qui fecit cœlos et terram.
- 16 Ipsi cœli, cœli *sunt* Jehovæ: terraque, *quam* dedit filiis hominum.
- 17 Non qui mortui sunt, laudant Jah; neque quicumque descendunt in locum silentii:
- 18 Sed nos benedicemus Jah; deinceps usque in seculum.

HALLELU-JAH!

CXVI.

- 1 SAT habeo, quod Jehova exaudit vocem meam, deprecationes meas.
- 2 Quia inclinavit aurem suam mihi, idcirco diebus meis invocabo ipsum.
- 3 Circumdantibus me doloribus mortis, angoribusque sepulchri obvenientibus mihi, angustiam et mœrorem inveniens,

- 4 Si nomen Jehovæ invoco, *dicendo*, Obsecro, Jehova, libera animam meam!
- 5 Gratosus Jehova et justus; Deus, inquam, noster misericors:
- 6 Servans simplices Jehova; quum attenuatus sum, mihi confert salutem.
- 7 Redi, anima mea, in requiem tuam, quum Jehova beneficus sit erga te.
- 8 Quandoquidem eripuisti me ipsum a morte, oculos meos a lacrymis, pedem meum a lapsu:
- 9 Indesinenter ambulabo coram Jehova, in regionibus viventium.
- 10 Credidi, quum *hæc* locuturus essem; ego fatuus fueram supra modum,
- 11 Ego dixeram accelerando, Omnis homo *est* mendax.
- 12 Quid rependerem Jehovæ? omnia beneficia ejus superant me.
- 13 Poculum omnis salutis acceptum *exhibebo*, et nomen Jehovæ prædicabo.
- 14 Vota mea Jehovæ rependens mox coram toto populo ejus, *dicendo*:
- 15 Pretiosa *est* in oculis Jehovæ mors intentata iis, quos ipse benignitate prosequitur.
- 16 Obsecro, Jehova, quum ego *sim* servus tuus, sim servus tuus, filius ancillæ tuæ; solveris vincula mea:
- 17 Tibi sacrificem sacrificium gratiarum actionis, et nomen Jehovæ prædicem:
- 18 Vota mea Jehovæ persolvam mox coram toto populo ejus,
- 19 In atriis domus Jehovæ, in medio vestri, Hierosolyma.

HALLELU-JAH!

CXVII.

- 1 LAUDATE Jehovam, omnes gentes; laudationibus commendate eum, omnes nationes:
2 Quia invaluit erga nos benignitas ejus, et fides Jehovæ in seculum.
HALLELU-JAH!

CXVIII.

- 1 CELEBRATE Jehovam, quia bonus *est*; quia in seculum benignitas ejus.
2 Dicat nunc Israel, esse in seculum benignitatem ejus.
3 Dicant nunc, qui sunt ex familia Aaronis, esse in seculum benignitatem ejus.
4 Dicant nunc timentes Jehovæ, esse in seculum benignitatem ejus.
5 Ex ipso angore invocavi Jah, respondens *collocavit* me in lato Jah.
6 Jehova *adest* mihi, non timebo; quid faciat mihi homo?
7 Jehova *adest* mihi cum auxiliatoribus meis: ideo ego despicio osiores meos.
8 Melius *est* recipere se ad Jehovam, quam fiduciam habere in ullo homine.
9 Melius *est* recipere se ad Jehovam, quam fiduciam habere in ingenuis.
10 Omnes gentes circumdederant me; sed in nomine Jehovæ enervavi eas.
11 Etiam atque etiam circumdederant me; sed in nomine Jehovæ enervavi eas.
12 Circumdederant me tanquam apes, extinctæ sunt ut ignis spinarum: nam in nomine Jehovæ enervavi eas.
13 Graviter impuleras me, ut caderem; sed Jehova auxilio fuit mihi.

- 14 Robur meum et carmen Jah, is fuit mihi saluti.
- 15 Vox cantus et salutis *est* in tentoriis justorum, *dicens*, Dextera Jehovæ agit strenue:
- 16 Dextera Jehovæ elata, dextera Jehovæ agit strenue.
- 17 Non moriar, sed vivam; ut enarrem opera Jah.
- 18 Severe castigavit me Jah; sed morti non tradidit me.
- 19 Aperite mihi portas justitiæ, *ut* ingressus per eas celebrem Jah.
- 20 Hæc ipsa porta ad Jehovam, per quam justi intrant.
- 21 Celebrabo te; quia exaudiens me fuisti mihi saluti.
- 22 Quem lapidem spreverant structores, is est in caput anguli.
- 23 A Jehova est hic, *estque* mirabilis in oculis nostris.
- 24 Hac ipsa die effecit Jehova; exsulemus et lætemur in ea.
- 25 Obsecro, Jehova, serva nunc; obsecro, Jehova, prospera nunc.
- 26 Benedictus *est*, qui venit in nomine Jehovæ, benedicimus vobis e domo Jehovæ,
- 27 *Dei* fortis Jehovæ, qui illustravit nos; ligate sacrificia festi funibus, usque ad cornua altaris.
- 28 *Deus* fortis meus es, ideo celebrabo te; Deus meus, exaltabo te.
- 29 Celebrate Jehovam, quia bonus *est*; quia in seculum benignitas ejus.

CXIX.

- 1 & BEATI integri via, qui ambulant in lege
Jehovæ:
2 Beati custodientes testimonia ejus, ex toto animo
quærentes eum:
3 *Qui* etiam non operantur iniquitatem, *sed* in viis
ejus ambulant.
4 Tu præcepisti mandata tua observari valde:
5 Utinam comparentur viæ meæ, ad observandum
statuta tua:
6 Tunc non erubescam, quum intuebor in omnia
præcepta tua.
7 *Sed* celebrabo te recto animo, discendo jura ju-
stitiæ tuæ:
8 Statuta tua observabo, ne derelinquas me ad-
modum.
9 ⲁ Quomodo purificabit puer semitam suam?
observando *eam* secundum verbum tuum.
10 Ex toto animo meo quæro te, ne sinas me errare
a præceptis tuis.
11 In animo meo recondo sermonem tuum, ut non
peccem in te.
12 Tu benedicte Jehova, doce me statuta tua.
13 Labiis meis recenseo omnia jura oris tui.
14 De via testimoniorum tuorum gaudeo, ut supe-
riorum omnibus opibus:
15 De mandatis tuis meditor, et intueor semitas
tuas:
16 In statutis tuis me ipsum oblecto, ne obliviscor
verbi tui.
17 ⲓ Beneficium confer in servum tuum; *ut*, dum
vivo, observem verbum tuum.
18 Retege oculos meos, ut intuear mirabilia ex
lege tua.

- 19 Peregrinante me in hac terra, ne abscondas a me praecepta tua.
- 20 *Nam* comminuor ipse, ob desiderium erga jura tua omni tempore.
- 21 *Tu, qui* perdis superbos, maledictos, qui errant a praeceptis tuis:
- 22 Devolve a me opprobrium et contemtum, quia testimonia tua custodio:
- 23 Tum considentibus principibus, de me sermones frequentantibus, servus tuus meditatur de statutis tuis:
- 24 Tum testimonia tua oblectationes meae *sunt*, consilarii mei.
- 25 ¶ Adhæret pulveri vita mea: vivum conserva me, secundum verbum tuum.
- 26 Vias meas recensentem exaudivisti me; doce me statuta tua.
- 27 Fac, ut viam mandatorum tuorum intelligam, ut mediter de mirabilibus tuis.
- 28 Stillat anima mea præ mœstitia, erige me secundum verbum tuum.
- 29 Viam falsitatis amove a me, et legem tuam gratiose largire mihi.
- 30 Viam veritatis eligo, judiciorum tuorum propono *mihi*.
- 31 Inhæreo testimoniis tuis, Jehova; ne sinas me erubescere.
- 32 Viam praeceptorum tuorum percurram, quum dilataveris animum meum.
- 33 ¶ Doce me, Jehova, viam statutorum tuorum; quam custodiam *in finem usque*.
- 34 Fac ut intelligam, ut custodiam legem tuam; observemque eam ex toto animo.
- 35 Fac ut incedam itinere praeceptorum tuorum, nam eo delector.

- 36 Flecte animum meum ad statuta tua, neque *sinas deflecti* ad quæstum.
- 37 Averte oculos meos, ne respiciant vanum: in viis tuis fac ut vivam.
- 38 Præsta servo tuo sermonem tuum, qui *addictus est* reverentiæ tui.
- 39 Averte opprobrium meum, quod reformido; quia jura tua bona *sunt*.
- 40 Ecce desidero mandata tua; in justitia tua fac ut vivam.
- 41 ¶ Quumque obvenerint mihi benignitates tuæ, Jehova, salus tua secundum sermonem tuum:
- 42 Respondebo probro afficienti me rem, quia fiduciam habeo in verbo tuo.
- 43 Sed ne abripe ab ore meo verbum verum admodum: quandoquidem jura tua exspecto.
- 44 Et observabo legem tuam jugiter, in seculum et sempiternum:
- 45 Indesinenterque ambulabo in ipsa latitudine, quia mandata tua quæro:
- 46 Et loquar de testimoniis tuis coram regibus, neque erubescam:
- 47 Et me oblectans in præceptis tuis, quæ diligo,
- 48 Attollam manus meas ad præcepta tua, quæ diligo, et meditabor de statutis tuis.
- 49 ¶ Recordare verbi cum servo tuo *habiti*, de quo spem fecisti mihi.
- 50 Hæc *est* consolatio mea in afflictione mea: sermonem tuum vivificare me;
- 51 Superbis deridentibus me admodum, a lege tua me non declinare:
- 52 Recordari judiciorum tuorum inde a seculo, Jehova, et me ipsum consolari:
- 53 Procella prehendente me ab improbis, desertoribus legis tuæ:

- 54 Psallendi argumenta esse mihi statuta tua in loco peregrinationum mearum:
- 55 Recordari me noctu nominis tui, Jehova, et observare legem tuam:
- 56 Hæc *consolatio* est mihi, me mandata tua custodire.
- 57 ꝑ Portio mea es, Jehova, dico; ut observem verba tua.
- 58 Deprecor faciem tuam ex toto animo, gratiam fac mihi secundum sermonem tuum.
- 59 Reputo vias meas, ut referam pedes meos ad testimonia tua.
- 60 Festino ac non cunctor observare mandata tua.
- 61 Turbis improborum dispoliantibus me, legis tuæ non obliviscor.
- 62 Media nocte surgo ad celebrandum te propter jura justitiæ tuæ.
- 63 Socius sum omnibus qui reverentur te, et observantibus mandata tua.
- 64 Benignitatis tuæ, o Jehova, plena est terra; statuta tua doce me.
- 65 ꝓ Bono affecisti servum tuum, Jehova, secundum verbum tuum.
- 66 Præstantiam rationis et scientiæ doce me: nam præceptis tuis credo.
- 67 Quum nondum loquerer, ego errabam: nunc autem sermonem tuum observo.
- 68 Bonus es et beneficus, doce me statuta tua.
- 69 Concinnantibus contra me falsitatem superbis, ego ex toto animo custodio mandata tua.
- 70 Obesatur quasi adipe cor illorum, ego lege tua oblecto me.
- 71 Bono mihi fuit me affligi, ut discerem statuta tua.
- 72 Melior est mihi lex oris tui multis millibus *nummum* aureorum et argenteorum.

- 73 ¶ Manus tuæ fecerunt me et aptaverunt me:
redde me intelligentem, ut discam præcepta
tua.
- 74 Timentes tui videant me et lætentur, quod in
verbo tuo expectationem habeam.
- 75 Agnosco, Jehova, justa esse judicia tua; et te
in fide afflixisse me.
- 76 Adsit jam benignitas tua, ut consoletur me, se-
cundum sermonem tuum *habitu*m cum servo tuo.
- 77 Obveniant mihi misericordiæ tuæ, ut vivam: quia
lex tua *est* omnis oblectatio mea.
- 78 Erubescant superbi, quod falsis de causis per-
vertant me; meditante me de mandatis tuis.
- 79 Convertantur ad me timentes tui, et cognoscen-
tes testimonia tua.
- 80 Erit animus meus integer in statutis tuis, ut non
erubescam.
- 81 ☞ Consumitur *desiderio* salutis tuæ anima mea,
in verbo tuo expectationem habeo.
- 82 Consumuntur oculi mei *desiderio* sermonis tui,
dicendo, Quando consolaberis me?
- 83 Quamvis sim similis utri ad fumum; statutorum
tuorum non oblitus sum.
- 84 Quanti *erunt* dies servi tui? quando exercebis
in persequentes me iudicium?
- 85 Fodiunt mihi superbi fossas, qui se non confor-
mant legi tuæ.
- 86 Omnia præcepta tua *sunt ipsa* veritas: falsis de
causis persequuntur me, auxiliare mihi.
- 87 Propemodum consumpserunt me *dejectum* in ter-
ram: ego vero non dereliqui mandata tua.
- 88 Pro benignitate tua vivum serva me, ut obser-
vem testimonium oris tui.
- 89 ☞ In seculum, o Jehova, verbum tuum con-
sistit in cœlis:

- 90 In unaquaque generatione fides tua: quum stateres terram, illa constabat.
- 91 Ad judicia tua perstant hodie, quia illa omnia *sunt* servi tui.
- 92 Nisi lex tua *esset* omnis oblectatio mea, jam diu periissem in afflictione mea.
- 93 In seculum non obliviscar mandatorum tuorum. nam illis vivum conservas me.
- 94 Tuus sum, conserva me; quia mandata tua quæro.
- 95 Me expectantibus improbis ad perdendum me, testimonia tua considero:
- 96 Omni perfectioni video esse finem: latum *vero esse* mandatum tuum valde.
- 97 ¶ Quam diligo legem tuam! toto die est meditatio mea.
- 98 Inimicis meis sapientiores me reddit præceptis tuis: nam in seculum adest mihi.
- 99 Omnibus doctoribus meis intelligentior fio, quia testimonia tua meditatio mea *sunt*.
- 100 Senibus prudentior sum, quia mandata tua custodio.
- 101 Ab omni semita mali cohibeo pedes meos, ut observem verbum tuum.
- 102 A judiciis tuis non recedo, quia tu doces me.
- 103 Quam suavia sunt palato meo *judicia* sermonis tui! suaviora melle ori meo.
- 104 Mandatis tuis prudens sum: idcirco odi omnem semitam falsitatis.
- 105 ¶ Lucerna pedi meo verbum tuum *est*, et lux itineri meo.
- 106 Juravi quod præstabo, me observaturum jura justitiæ tuæ.
- 107 Afflictus sum admodum: Jehova, vivum conserva me secundum verbum tuum.

- 108 Voluntarias oblationes oris mei accepta, quæso, Jehova; et jura tua doce me.
- 109 Anima mea in manu mea jugiter *versante*, tamen legis tuæ non obliviscor:
- 110 Ponentibus improbis laqueum mihi, a mandatis tuis non aberro.
- 111 Possideo testimonia tua in seculum: quia gaudium animi mei sunt.
- 112 Inclino animum meum ad faciendum statuta tua; in seculum, *in finem usque*.
- 113 **♫** Cogitationes *alias* odi, legem autem tuam diligo.
- 114 Latebra mea et scutum meum es, in verbo tuo expectationem habeo.
- 115 Recedite a me, malefici, ut custodiam præcepta Dei mei.
- 116 Sustenta me secundum sermonem tuum, ut vivam; neque pudefacias me ab expectatione mea.
- 117 Suffulci me, ut salvus sim et respiciam ad statuta tua jugiter.
- 118 Conculcas omnes errantes a statutis tuis: quia falsus *est* dolus eorum.
- 119 *Tanquam* scorix, facis, ut cessent omnes improbi terræ; idcirco diligo testimonia tua.
- 120 Horret pavore tui caro mea: adeo a judiciis tuis timeo.
- 121 **♫** Exerceo iudicium et justitiam: ne permittas me oppressoribus meis.
- 122 Obi vadimonium pro servo tuo in bonum; ne opprimant me superbi.
- 123 Oculi mei consumuntur *desiderio* salutis tuæ, et sermonis iusti tui.
- 124 Fac erga servum tuum secundum benignitatem tuam, et statuta tua doce me.

- 125 Servus tuus sum, prudentem me redde; ut cognoscam testimonia tua.
- 126 Tempus est, ut faciat Jehova; irritam faciunt legem tuam.
- 127 Propterea amplius diligo praecepta tua, quam aurum, et *quidem* aurum purgatissimum:
- 128 Propterea *quod* omnia mandata de omnibus recta agnosco, omnem semitam falsitatis odi.
- 129 **D** Mirabilia *sunt* testimonia tua: idcirco custodit ea anima mea.
- 130 Aditus verborum tuorum illuminat, prudentia instruit simplices.
- 131 Os meum distendo et anhele: quia praeceptorum tuorum cupidus sum.
- 132 Respice ad me, et gratiam fac mihi; prout *est* jus erga amantes nomen tuum.
- 133 Pedes meos institue in sermone tuo, et ne sinas dominari in me ullam iniquitatem.
- 134 Redime me ab oppressione hominum, ut observem mandata tua.
- 135 Fac ut praeluceat facies tua servo tuo, et doce me statuta tua.
- 136 Rivi aquarum descendunt *ex* oculis meis, propter *eos qui* non observant legem tuam.
- 137 **¶** Justus es, Jehova, et rectus judiciis tuis.
- 138 Praecepisti justa testimonia tua, et fidelia valde.
- 139 Conficit me zelus meus, quod obliviscantur verbi tui hostes mei.
- 140 Purgatus *est* sermo tuus valde; quapropter servus tuus diligit ipsum:
- 141 Parvus ego et contemptus, mandatorum tuorum non obliviscor,
- 142 Justitiæ tuæ, justitiæ perpetuæ, et legis tuæ veracis.

- 143 Oppressione et angustia obvenientibus mihi, praecepta tua *sunt* oblectationes meae.
- 144 Justitia testimoniorum tuorum *est* in seculum: prudentem me effice, ut vivam.
- 145 Ꝁ Invocantem ex toto animo exaudi me, Jehova, *ut* statuta tua custodiam.
- 146 Invocantem te serva me, *ut* observem testimonia tua.
- 147 Veniens ante *te* in ipso crepusculo, ut vociferer: in verbo tuo spem habeo.
- 148 Præveniunt oculi mei excubias, ad meditandum de sermone tuo.
- 149 Voci meae ausculta secundum benignitatem tuam, Jehova: secundum judicia tua vivum conserva me.
- 150 Appropinquantibus sectatoribus sceleris, *qui* a lege tua longe absunt;
- 151 Propinquus es, Jehova, et omnia praecepta tua *sunt* veritas.
- 152 Pridem novi de testimoniis tuis, te in seculum fundasse ea.
- 153 Ꝁ Respice afflictionem meam, et libera me; quia legis tuæ non obliviscor.
- 154 Suscipe causam meam, et vindica me; pro sermone tuo vivum conserva me,
- 155 *Ita ut* procul sit ab improbis salus; quia statuta tua non quærunt:
- 156 Miserationes tuæ amplæ *sunt*, Jehova; secundum judicia tua vivum conserva me.
- 157 Ut multi sint persequentes me et hostes mei, a testimoniis tuis non declino.
- 158 Simul ac video perfide agentes, fastidio me ipsum torqueo, quod sermonem tuum non observent.
- 159 Vide me mandata tua diligere, Jehova; secundum benignitatem tuam vivum conserva me.

- 160 Præstantissimum verbum tuum *est* ipsa veritas:
et in seculum *est* quodque iudicium justum tuum.
- 161 W Principibus persequentibus me immerito, a
verbo tuo pavet animus meus.
- 162 Gaudeo de sermone tuo ut qui invenit prædam
amplam:
- 163 Falsitatem odi et abominor, legem tuam di-
ligo.
- 164 Septies quotidie laudo te, de judiciis justis tuis:
- 165 Pacem multam esse diligentibus legem tuam,
neque esse eis offendiculum.
- 166 Exspecto salutem tuam, Jehova, et præcepta
tua facio.
- 167 Observat anima mea testimonia tua, diligoque
ea valde.
- 168 Observo mandata tua ac testimonia tua; quia
omnes viæ meæ coram te sunt.
- 169 n Appropinquet clamor meus ante faciem
tuam, Jehova; secundum verbum tuum pruden-
tem redde me.
- 170 Perveniat deprecatio mea ante faciem tuam, se-
cundum sermonem tuum eripe me.
- 171 Eructabunt labia mea laudem, quum docueris
me statuta tua.
- 172 Cantabit lingua mea sermonem tuum, omnia
præcepta tua justissima esse.
- 173 Adsit manus tua ad auxiliandum mihi; quia
mandata tua eligo.
- 174 Desidero salutem tuam, Jehova, et lex tua *est*
omnis oblectatio mea.
- 175 Vivat anima mea, ut laudet te; et iudicia tua
auxilientur mihi.
- 176 Erro ut pecus, quæ perit; require servum tuum
nam præceptorum tuorum non obliviscor.

CXX.

Canticum excellentissimum.

- 1 AD Jehovam in maxima angustia mea clamavi,
et exaudivit me.
- 2 Jehova, eripe me a labio falso, a lingua dolosa.
- 3 Quid datura est tibi, quidve adjectura tibi lingua dolosa?
- 4 *Verba similia* sagittis robusti acutis, comparanda prunis juniperorum?
- 5 Hei mihi, quia peregrinor tam diu, habito tanquam scenitæ Kedareni!
- 6 Plurimum habitasse videtur sibi anima mea apud osorem pacis.
- 7 Ego pacem *diligo*: at quum loquor, ipsi ad bellum *conclamant*.

CXXI.

Canticum excellentissimum.

- 1 ATTOLLEREM oculos meos ad istos montes?
unde veniret auxilium meum?
- 2 Auxilium meum *sit* a Jehova, qui fecit cœlos et terram.
- 3 Ne permittat dimoveri pedem tuum, ne dormitet custos tuus.
- 4 Ecce, non dormitat neque dormit custos Israelis.
- 5 Jehova custos tuus; Jehova umbra tua *est* ad manum dexteram tuam.
- 6 Interdiu sol non percutiet te, aut luna noctu.
- 7 Jehova servabit te ab omni malo, servabit animam tuam.
- 8 Jehova servabit processum tuum et reditum tuum,
ex hoc tempore usque in seculum.

CXXII.

Canticum excellentissimum Davidis.

- 1 LÆTOR de eo, quod dicitur mihi, domum Jehovahæ adeamus:
- 2 *Quod* consistunt pedes nostri intra portas vestras, o Hierosolyma.
- 3 Hierosolyma, optime constructa civitas, quæ plane coagmentata est inter se pariter:
- 4 Quo ascendunt tribus, tribus Jah, *ad* testimonium Israelitarum, ut celebrent nomen Jehovahæ:
- 5 Quia ibi consident throni juris, throni domus Davidis.
- 6 Expetite pacem Hierosolymorum, *dicentes*, Tranquilli sint amantes tui.
- 7 Sit pax in præmunitione tua, tranquillitas in palatiis tuis.
- 8 Propter fratres meos et amicos meos eloquor nunc, Pax *sit* in te!
- 9 Propter domum Jehovahæ, Dei nostri, procurabo bonum tibi.

CXXIII.

Canticum excellentissimum.

- 1 AD te attollo oculos meos, o *tu*, qui sedes in coelis.
- 2 Ecce, ut oculi servorum *spectant* ad manum dominorum suorum, ut oculi ancillæ ad manum heræ suæ; ita oculi nostri ad Jehovaham Deum nostrum, donec gratiam fecerit nobis.
- 3 Gratiam fac nobis, Jehova, gratiam fac nobis; quia satis *est*, saturi sumus contemptu.
- 4 Plurimum saturata est anima nostra: ista sanna tranquillis ipsis, iste contemptus *obveniat* superbis.

CXXIV.

Canticum excellentissimum Davidis.

- 1 NISI Jehova adfuisset nobis, dicat nunc Israel,
- 2 Nisi Jehova adfuisset nobis, quum insurgerent contra nos homines;
- 3 Tunc vivos absorbuissent nos, exardescente ira eorum in nos:
- 4 Tunc illæ aquæ inundassent nos, torrens superavisset nos:
- 5 Tunc superavisset nos *torrens* aquæ superbissimæ.
- 6 Benedictus Jehova, qui non exposuit nos prædæ dentibus eorum.
- 7 Anima nostra ut avicula erepta est a laqueo aucupantium, laqueo effracto nos erepti sumus.
- 8 Auxilium nostrum in nomine Jehovæ, qui fecit cœlos et terram.

CXXV.

Canticum excellentissimum.

- 1 QUI confidunt Jehovæ, similes *sunt* monti Zionis: *qui* non dimovetur, in seculum permanet.
- 2 *Ut* Hierosolyma montes circumstant, ita Jehova circumstat populum suum; ex hoc tempore usque in seculum.
- 3 Nam non quiescit virga improbitatis super sortem justorum; ut non extendant justi ad ullam iniquitatem manus suas.
- 4 Benefac, Jehova, bonis et rectis ex animis suis:
- 5 Qui autem inclinant *animos suos* ad *itiner*a tortuosa sua, amandet eos Jehova cum iis, qui dant operam iniquitati: pax *sit* super Israellem!

CXXVI.

Canticum excellentissimum.

- 1 QUUM reduceret Jehova multitudinem captivorum Zionis, eramus velut qui somniant.
- 2 Tunc impletum est risu os nostrum, et lingua nostra cantu; tum dictum est inter gentes, Magnifica Jehova efficit *opera* erga istos.
- 3 Magnifica Jehova efficit erga nos; sumus læti.
- 4 Reduc, Jehova multitudinem captivorum nostrorum; tanquam validissimas *aquas reducens* in regionem siccam.
- 5 Qui seminarunt cum lacrymis, cum cantu metant.
- 6 *Qui* portans acquisitum semen indesinenter ibat flendo; *is* omnino redeat cum cantu, reportans manipulos suos.

CXXVII.

Canticum excellentissimum pro Salomone.

- 1 NISI Jehova ædificet domum, frustra laborent ædificatores ejus de ea: nisi Jehova custodiat civitatem, frustra sedulus sit custos:
- 2 Frustra *sint* vobis, qui summo diluculo surgant, qui tarde sedeant, qui vescantur cibo dolorum: ita dat dilecto suo somnum!
- 3 Ecce, possessio Jehovæ *sunt* filii: merces *est* fructus ventris.
- 4 Ut sagittæ ad manum robusti, ita sunt pueri.
- 5 Beatus vir ille, qui impleverit pharetram suam illis: non erubescit, sed periment inimicos in porta ipsorum.

CXXVIII.

Canticum excellentissimum.

- 1 BEATUS quisque timens Jehovæ, qui ambulat in viis ejus.

- 2 Labore enim manuum tuarum frueris: beatus eris, et bene erit tibi.
- 3 Uxor tua ut vitis fructifera ad latera domus tuæ, filii tui ut plantæ olearum circumstabunt mensam tuam.
- 4 Ecce, quum ita benedicatur vir timens Jehovæ!
- 5 Benedicit tibi, Jehova e Zione: fruire igitur bono Hierosolymorum omnibus diebus vitæ tuæ,
- 6 Et respice natos filiis tuis: pax *est* super Israelem!

CXXIX.

Canticum excellentissimum.

- 1 MULTUM affecerunt me angustiis inde a pueritia mea, dicat nunc Israel,
- 2 Multum affecerunt me angustiis inde a pueritia mea; etiam non prævaluerunt mihi.
- 3 Super tergum meum araverunt aratores, produxerunt quamque strigarum suarum.
- 4 Jehova justus truncavit densos funes improborum.
- 5 Erubescant et agentur retrorsum omnes osores Zionis.
- 6 Erunt tanquam fœnum tectorum, quod antequam exseratur *falx*, exaruit.
- 7 Quo non implet manum suam messor; aut laceratum suum, qui manipulos facit:
- 8 Neque dicent, qui transeunt, Benedictio Jehovæ adsit vobis, benedicimus vobis in nomine Jehovæ.

CXXX.

Canticum excellentissimum.

- 1 Ex profunditatibus inclamavi te, Jehova, *dicens*:

- 2 Domine, ausculta voci meæ; sint aures tuæ intentæ ad vocem deprecationum mearum.
- 3 Si iniquitates observaveris, Jah, Domine, quis possit consistere?
- 4 Nam apud te *est* condonatio, ut reverenter colaris.
- 5 Expectavi Jehovam, expectavit anima mea: etiam in verbo ejus expectationem habeo.
- 6 Animus meus erga Dominum *studiosior est*, quam excubiarum erga matutinum, excubantium ad matutinum usque.
- 7 Expectationem habeat Israel in Jehova: quia apud Jehovam *est* benignitas et plurimum apud eum redemptionis:
- 8 Et ipse redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus.

CXXXI.

Canticum excellentissimum Davidis.

- 1 JEHOVA, non fuit altus animus meus, neque elati oculi mei; ac non aggressus sum *res* magnas aut arduas supra quam conveniat mihi.
- 2 An non composui et sedavi animum meum, similis depulso a lacte apud matrem suam? similis depulso a lacte apud me *fuit* animus meus.
- 3 Expectationem habeat Israel in Jehova, ex hoc tempore usque in seculum.

CXXXII.

Canticum excellentissimum.

- 1 MEMOR esto, Jehova, Davidis cum tota afflictione ejus:
- 2 Jurasse Jehovæ, vovisse amplissimo *Deo Jacobi, dicendo,*

- 3 *Dispeream*, si ingrediar tentorium domus meæ, si conscendam spondam stratorum meorum;
- 4 Si dem somnum *suum* oculis meis, palpebris meis dormitationem:
- 5 Donec invenero locum pro Jehova, *locum* tabernaculorum pro amplissimo *Deo* Jacobi.
- 6 Ecce, audivimus eam *fuisse* in Ephrathæa regione, inveneramus eam in agris Jaharis.
- 7 Accedimus ad tabernacula ejus; incurvamus nos *honorem exhibentes* ante scabellum pedum ejus.
- 8 Surge, Jehova, aditurus requiem tuam, tu et arca roboris tui.
- 9 Sacerdotes tui induantur justitia, et quos benigne accipis, cantent.
- 10 Propter Davidem servum tuum, ne avertas faciem uncti tui.
- 11 Juravit Jehova Davidi veritatem, a qua non avertet se, *dicens*, De fructu ventris tui ponam in solio tuo.
- 12 Si observaverint filii tui fœdus meum et testimonia mea singula, quæ docebo eos, etiam filii illorum usque in sempiternum sessuri sunt in solio tuo.
- 13 Nam elegit Jehova Zionem, expetivit pro habitatione sua, *dicens*,
- 14 Hæc est requies mea usque in sempiternum; hic habitaturus sum, quia hoc expetiveram.
- 15 Viatico ejus affatim benedicam, egentes ejus saturabo cibo:
- 16 Sacerdotesque ejus induam salute, et quos in ea benigne accipio, omnino cantabunt *illi*.
- 17 Ibi efficiam, ut germinet cornu Davidis, *ubi* aptavi lucernam uncto meo.

- 18 Inimicos ejus induam pudore: super ipsum vero florebit coronamentum ejus.

CXXXIII.

Canticum excellentissimum Davidis.

- 1 ECCE, quam bonum et quam amœnum *est*, habitare fratres etiam una.
- 2 *Est* ut unguentum illud optimum superfusum capiti, descendens super barbam, barbam Aaronis; quod descendit usque ad oram vestium ejus.
- 3 Ut ros Hermonis, *ut* qui descendit super montes Zionis: nam illic mandat Jehova benedictionem suam, vitam usque in seculum.

CXXXIV.

Canticum excellentissimum.

- 1 ECCE, benedicite Jehovæ, omnes servi Jehovæ; qui perstatis in domo Jehovæ singulis noctibus.
- 2 Attollite manus vestras sancte, et benedicite Jehovæ.
- 3 Benedicet tibi Jehova e Zione, qui fecit cœlos et terram.

CXXXV.

- 1 HALLELU-JAH!
Laudate nomen Jehovæ; laudate, servi Jehovæ;
- 2 Qui statis in domo Jehovæ, in atriis domus Dei nostri.
- 3 Laudate Jah; quia bonus *est* Jehova: psallite nomini ejus, quia amœnum *est*:
- 4 Quia Jacobum sibi elegit Jah, Israelem in peculium suum.

- 5 Nam ego novi magnum esse Jehovah, et Dominum nostrum superiorem omnibus diis.
- 6 Quicquid placet sibi, Jehova facit, in cœlis ac in terra, per maria et omnes abyssos.
- 7 Faciens ut ascendant vapores ab extremitate terræ; fulgura cum pluvia facit, depromit ventum e thesauris suis.
- 8 Qui percussit primogenita Ægypti, tam hominum quam jumentorum:
- 9 *Quum* immisisset signa et prodigia in medium tui, Ægypte; contra Pharaonem et contra omnes servos ejus.
- 10 Qui percussit gentes amplas, et interfecit reges robustos:
- 11 Sichonem, regem Emoræorum; et Hogum, regem Basanis; omniaque regna Canaanæorum.
- 12 Et dedit terram eorum possessionem, possessionem Israeli, populo suo.
- 13 O Jehova, nomen tuum *est* in seculum; Jehova, memoria tui in quamque generationem.
- 14 *Quod* si judicat Jehova populum suum, mox de servis suis pœnitet ipsum.
- 15 Terriculis gentium argenteis et aureis, operi manuum humanarum,
- 16 Os illis *est*, sed non loquuntur; oculi *sunt* illis, sed non vident:
- 17 Aures *sunt* illis, sed non audiunt; etiam nullus spiritus in ore illorum.
- 18 Similes illis futuri sunt, qui faciunt illa, quisquis confidit illis.
- 19 Domus Israelis, benedicite Jehovah; domus Aaronis, benedicite Jehovah:
- 20 Domus Leviticæ *tribus*, benedicite Jehovah: timentes Jehovah, benedicite Jehovah, *dicendo*:

21 Benedictus *sit* Jehova e Zione, inhabitans Hierosolymis.

HALLELU-JAH!

CXXXVI.

- 1 CELEBRATE Jehovam, quia bonus *est*, quia in seculum *est* benignitas ejus.
- 2 Celebrate Deum Deorum; quia in seculum *est* benignitas ejus.
- 3 Celebrate Dominum dominorum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 4 Eum, qui facit mirabilia opera magna solus; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 5 Qui fecit cœlos intelligentia; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 6 Qui expandit terram super aquas; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 7 Qui fecit lumina magna; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 8 Solem ad dominium *obtinentum* interdiu; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 9 Lunam cum stellis ad dominia *obtinenta* noctu; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 10 Qui percussit Ægyptios in primogenitis illorum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 11 Et eduxit Israelem e medio illorum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 12 Manu robusta et brachio extento; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 13 Qui secuit mare algosum in segmenta; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 14 Et transmisit Israelem per medium illius; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 15 Excussitque Pharaonem et copias illius in mare algosum; quia in seculum *est* benignitas ejus:

- 16 Qui duxit populum suum per desertum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 17 Qui percussit reges magnos; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 18 Et interfecit reges magnificos; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 19 Sichonem, regem Emoræorum; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 20 Et Hogum, regem Basanis; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 21 Deditque terram istorum in possessionem; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 22 Possessionem Israeli, servo suo; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 23 Qui in abjectione nostra recordatur nostri; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 24 Et asserit nos ab hostibus nostris; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 25 Qui dat cibum omni carni; quia in seculum *est* benignitas ejus:
- 26 Celebrate *Deum* fortem cœlorum; quia in seculum *est* benignitas ejus.

CXXXVII.

- 1 AD flumina Babylonix, ibi sedentes etiam *atque etiam* flevimus, quum recordaremur Zionis:
- 2 Ad salices in ea, suspendimus citharas nostras:
- 3 Quamvis ibidem peterent a nobis cantiones lætas, qui captivos abducebant nos, et qui contumulabant nos; *dicentes*, Canite nobis de canticis Zionis.
- 4 Quomodo fuissetis cantaturi canticum Jehovæ in solo alienigenarum?
- 5 Si obliviscar vestri, o Hierosolyma, obliviscatur *sui* dextra mea.

- 6 Adhæreat lingua mea palato meo, si non recorder tui, si non eveham Hierosolyma supra caput lætitiæ meæ.
- 7 Recordare, Jehova, contra Edomæos diei Hierosolymæ: qui dicebant, Nudate, nudate, quantisper fundamentum ejus *erit* in ea.
- 8 Gens Babylonica vastanda, beatus *sit*, qui rependet tibi maleficium tuum, quo affecisti nos!
- 9 Beatus, quiprehendet et dissipabit parvulos tuos *allidens* ad petram!

CXXXVIII.

Ode Davidis.

- 1 CELEBRABO te ex toto animo meo, coram potestatibus psallam tibi.
- 2 Incurvabo me *honorem exhibens* versus templur sanctitatis tuæ, et celebrabo nomen tuum, propter benignitatem tuam et propter fidem tuam: quia magnificas cum toto nomine tuo sermonem tuum.
- 3 Quo die clamavi, eodem exaudivisti me: fecisti ut efferret me animo meo robur.
- 4 Celebrabunt te, Jehova, omnes reges terræ; quum audierint sermones oris tui:
- 5 Et canent de viis Jehovæ, magnam esse gloriam Jehovæ:
- 6 Quamvis elatus sit Jehova, tamen depressum aspicere; quamvis altus, e longinquo pernoscere.
- 7 Si ambulo in media angustia, vivum conservas me: in faciem inimicorum meorum extendis manum tuam; et servat me dextera tua.
- 8 Jehova perficiat pro me: Jehova, benignitas tua in seculum *est*; ab operibus manuum tuarum ne desistas.

CXXXIX.

Magistro symphoniam Davidis psalmus.

- 1 JEHOVA, pervestigas me et cognoscis.
- 2 Tu cognoscis sedere meum et surgere meum, intelligis cogitationem meam e longinquo.
- 3 Iter meum et accubitus meum circumplecteris, et omnium viarum mearum peritus es:
- 4 Quum nondum *est* sermo in lingua mea; en, o Jehova, nosti ipsum totum;
- 5 Retro et ante obsides me, et imponis mihi manum tuam.
- 6 Mirabilior *est* scientia *tua*, quam ut fallam: edita est, non possum prævalere illi.
- 7 Quo irem a spiritu tuo? aut quo a facie tua fugerem?
- 8 Si scanderem cœlos, illic es; aut stratum ponerem in sepulchro, ecce, ades.
- 9 *Si* assumerem alas auroræ, habitaturus in extremitate maris;
- 10 Etiam illuc manus tua deduceret me, et prederet me dextra tua.
- 11 *Sin* autem dicerem, Utique tenebræ velut crepusculo obvolvunt me: atqui nox lux *est* circa me:
- 12 Ne tenebræ quidem ita obtenebrare possunt, quin tu pervideas: sed nox ut dies illustrat, perinde *sunt* tenebræ atque ipsa lux.
- 13 Tu enim possides renes meos, *ex quo* obtegebas me in utero matris meæ.
- 14 Celebro te, eo quod suspiciendis *operibus istis* in admirationem traducor: *celebro* mirabilia opera tua, quam maxime novit animus meus.
- 15 Non celata *est* vis *mea* tibi, *ex quo* factus sum in abdito, artificiose confectus, *velut* in imis partibus terræ.

- 16 Massam meam vident oculi tui, et in libro tuo hæc omnia scripta sunt; *ex quibus* diebus formabantur, quum nondum ullum ex eis *exstaret*.
- 17 Quamobrem apud me, o quam pretiosæ sunt cogitationes tuæ; o *Deus* fortis, quam numerosæ sunt summæ earum!
- 18 Narrarem illas, *sed* arena plures sunt: invigilo, ut adhuc sim tecum.
- 19 *Quod* si interempturus es, o *Deus*, improbum et viros sanguinarios, *dicendo*, Recedite a me!
- 20 Qui obloquuntur tibi scelerate; *qui* extollunt vane inimicos tuos.
- 21 An non osores tuos, o *Jehova*, odio habeo? et de insurgentibus in te fastidio me ipsum torqueo?
- 22 Perfecto odio odi illos! inimicorum loco sunt mihi!
- 23 Pervestiga me *Deus* fortis, et cognosce animum meum; proba me, et cognosce cogitationes meas.
- 24 Denique vide, an ego ingrediar via molesta tibi: et deduc me via perpetua.

CXL.

Magistro symphonix psalmus Davidis.

- 2 LIBERA me, *Jehova*, ab hominibus malis; a viris violentissimis custodi me:
- 3 Qui cogitant mala cum animo, quotidie conveniunt *ad* bella:
- 4 Exacuunt linguam suam similem serpentis, venenum ptyados subest labiis eorum maxime.
- 5 Serva me, *Jehova*, a manibus improborum; a viris violentissimis custodi me, qui cogitant impellere pedes meos.

- 6 Abscondentibus superbis laqueum mihi funesque, pendentibus rete ad orbitam, tendiculas ponentibus mihi maxime;
- 7 Dixi Jehovæ, *Deus* fortis meus es: auribus percipe, Jehova, vocem deprecationum mearum!
- 8 Jehova Domine, robur salutis meæ, obtexisti caput meum tempore pugnae.
- 9 Ne concedas, Jehova, quæ concupit improbus; sceleratam cogitationem ejus ne provehas; efferrent se maxime.
- 10 Venenum circumdantium me, molestia labiorum ipsorum obtegit eos.
- 11 Demittantur super eos prunæ; in ignem dejiciat eos, in scrobes, *unde* non surgant.
- 12 Vir maledicus ne stabiliatur in terra; virt *dediti* violentiæ, malum venando impellat ipsum *variis* impulsionebus.
- 13 Novi acturum esse Jehovam causam afflicti, jus egentium.
- 14 Utique justi celebrabunt nomen tuum; considerabunt recti in conspectu tuo.

CXLI.

Psalmus Davidis.

- 1 O Jehova, inclamo te, festina ad me; auribus percipe vocem meam, quum invoco te.
- 2 Statuatur oratio mea *ut* suffitus coram te; elatio manuum mearum *ut* munus vespertinum.
- 3 Compone, Jehova, observa os meum; custodiens *moderare*, quicquid efferunt labia mea.
- 4 Ne sinas inclinari animum meum ad rem malam, ad agitandum actiones per improbitatem cum strenuis operam dantibus iniquitati: etiam ne inescer rebus amœnis eorum.

- 5 Retundat me justus, benignitas *erit*; et corripiat me, unguentum *erit* præstantissimum; ne irritum faciat a capite meo: quo amplius *fecerit*, eo *amplius* oratio mea *erit* in malis eorum.
- 6 At dimovent se per latera petrarum judices istorum, quamvis intelligant sermones meos amœnos esse.
- 7 Quasi dissecaret quis et diffinderet in terra. disperguntur ossa nostra, *trudenda* in os sepulchri.
- 8 Quum ad te, Jehova, Domine, *respiciant* oculi mei, ad te recipiam me, ne nudes animam meam.
- 9 Serva me a laqueo, *quem* tetenderunt mihi; et tendiculis eorum, qui operam dant iniquitati.
- 10 Cadant in retia jacula *quisque* sua improbi una, ego dum transiturus sum.

CXLII.

*Ode didascalica Davidis, quum esset in spelunca;
oratio.*

- 2 VOCE mea ad Jehovam clamo: voce mea apud Jehovam deprecor.
- 3 Effundo coram eo meditationem meam, angustiam meam coram eo indico.
- 4 Quum obrueret se in me spiritus meus, toties tu agnovisti semitam meam: *quum*, quocunque itinere pergerem, abderent laqueum mihi.
- 5 Intuere *ad* dexteram et respice *ad sinistram*, ut non *est* mihi, qui recognoscat *me*: periit effugium a me, non *est* qui curet vitam meam.
- 6 Clamo ad te, Jehova, dicens, Tu *es* receptus meus, portio mea in terra viventium.

- 7 Attende ad clamorem meum, nam attenuatus sum valde; eripe me a persequentibus me, quia fortiores sunt me.
- 8 Educ e claustro vitam meam ad celebrandum nomen tuum; me cingent justi, quum beneficium contuleris in me.

CXLIII.

Psalmus Davidis.

- 1 O Jehova, audi orationem meam, aures adhibe ad deprecationes meas; pro fide tua exaudi me, pro justitia tua.
- 2 At ne congregiaris iudicio cum servo tuo; nam non esset justus coram te ullus vivens.
- 3 Persequitur enim inimicus animam meam: atterit *dejiciens* in terram catervam meam: facit ut resideam in tenebricosis *locis*; *sumus* quasi mortui olim:
- 4 Adeo ut obruat se in me spiritus meus; in medio mei desolatus videatur sibi animus meus.
- 5 Recordans dierum priscorum, meditans totum opus tuum, factum manuum tuarum recolens,
- 6 Pando manus meas ad te, anima mea ut terra fessa *sitiente* tui maxime:
- 7 *Dicens*, Festina, exaudi me, Jehova, consumitur spiritus meus; ne abscondas faciem tuam a me, nam consimilis fio descendentibus in sepulchrum.
- 8 Fac ut audiam mane benignitatem tuam, quia in te fiduciam habeo: notam fac mihi viam, qua ambulaturus sum, quia ad te attollo animum meum.
- 9 Eripe me ab inimicis meis, Jehova: apud te tectum contineo *illum*.

- 10 Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus *es*; tuo spiritu bono deduc me per terram planam.
- 11 Propter nomen tuum, Jehova vivum conserva me: propter justitiam tuam educ ex angustia animam meam:
- 12 Et propter benignitatem tuam exscinde inimicos meos, perdens omnes affligentes animam meam quia ego *sum* servus tuus.

CXLIV.

Ode Davidis.

- 1 BENEDICTUS *sit* Jehova, rupes mea, qui docet manus meas praelium, digitos meos bellum:
- 2 Benignitas mea et propugnaculum meum, editus locus meus et liberator meus, *assistens* mihi, scutum meum; ad quem me recipio, qui substernit populum meum mihi.
- 3 Jehova, quid *est* homo, ut agnoscas eum? filius mortalis, ut rationem habeas ejus?
- 4 Homo vanitati similis *est*, dies ejus *sunt* ut umbra prætereuntis.
- 5 Jehova, inclina cœlos tuos et descende: tange istos montes, et fument:
- 6 Immitte fulgur et disperge eos; emitte sagittas tuas et funde eos:
- 7 Extende manum tuam ex alto; libera me et eripe me ex aquis multis, e manu alienigenarum,
- 8 Quorum os loquitur vanum, et quorum dextera *est* dextera falsitatis.
- 9 Deus, canticum novum canam tibi; nablio. decachordo psallam tibi:

- 10 Danti salutem regibus, liberanti Davidem servum suum a gladio malefico.
- 11 Libera me, et eripe me e manu alienigenarum, quorum os loquitur vanum, et quorum dextera *est* dextera falsitatis.
- 12 Ut filii nostri tanquam plantæ bene educatæ in tenera ætate sua, filiæque nostræ sicut antarii lapides excisi *sint* structura templi:
- 13 Promptuaria nostra plena proferant jube alimentum: pecudes nostræ millenis pariant, myriadibus auctæ *sint* in cortibus nostris:
- 14 Bovesque nostri præpingues: nulla irruptio, nullaque eruptio; denique nulla *sit* querela in plateis nostris.
- 15 Beatus ille populus, cui ita *est*; beatus *ergo* populus, cujus Jehova *est* Deus.

CXLV.

Laudatio Davidis.

- 1 ✠ EXALTABO te, Deus mi, Rex; et benedicam nomini tuo in seculum et sempiternum:
- 2 ☩ Quotidie benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in seculum et sempiternum;
- 3 ♪ Magnum esse Jehovam et laudandum valde, imo magnitudini ejus non esse pervestigationem.
- 4 7 Generatio generationi laudibus commendet opera tua, prout *hæc* indicant omnimodam potentiam tuam.
- 5 7 Et decorem gloriamque majestatis tuæ, et res mirabiles tuas elocuturus sum:
- 6 ♪ Et robur mirabilium tuorum operum prædicent, prout singula magna *gesta* tua enarraturus sum.
- 7 7 Memoriam amplæ bonitatis tuæ eructent, et justitiam tuam cantent:

- 8 𐤀 Gratosum et misericordem Jehovam *esse*,
longanimum et magnum benignitate.
- 9 𐤁 Bonum esse Jehovam omnibus, et misericor-
diam ejus in omnibus operibus ejus.
- 10 𐤂 Celebrent te, Jehova, omnia opera tua; et
quos benignitate prosequeris, benedicant tibi.
- 11 𐤃 Gloriam regni tui prædicent, et potentiam
tuam eloquantur;
- 12 𐤄 Ut notas faciant filiis hominum potentias ejus,
et gloriam decoremque regni ejus.
- 13 𐤅 Regnum tuum regnum *est* omnium seculorum;
et dominium tuum in unam quamque generatio-
nem.
- 14 𐤆 Sustentat Jehova omnes cadentes, et erigit
omnes incurvatos.
- 15 𐤇 Oculi omnium ad te spectant; quibus tu das
escam suam tempore suo:
- 16 𐤈 Aperis manum tuam et saturas quicquid vivit,
ex beneplacito.
- 17 𐤉 Justus Jehova in omnibus viis suis *est*, et
benignus in omnibus operibus suis.
- 18 𐤊 Propinquus *est* Jehova omnibus invocantibus
ipsum, omnibus qui invocant ipsum fide.
- 19 𐤋 Placitum timentium se efficit, et vociferationem
eorum audiens salutem dat eis.
- 20 𐤌 Servat Jehova omnes amantes ipsum, omnes
vero improbos perdit.
- 21 𐤍 Laudationem Jehovæ eloquatur os meum: et
benedicat omnis caro nomini sancto ejus, in se-
culum et sempiternum.

CXLVI.

I HALLELU-JAH!

Lauda, anima mea, Jehovam.

2 Laudabo Jehovam in vita mea; psallam Deo
meo, quamdiu futurus sum.

- 3 Ne fiduciam habetote in ingenuis, in *ullo* filio hominum; penes quem nulla *est* salus.
- 4 Exit spiritus ejus, revertitur in terram suam: die eodem pereunt cogitationes ejus.
- 5 Beatus, cui auxilio *est Deus* fortis Jacobi, cujus exspectatio *est* in Jehova Deo suo:
- 6 Qui fecit cœlos et terram, mare et quicquid *est* in eis; qui servat fidem in seculum;
- 7 Qui exercet judicium erga oppressos, dat cibum famelicis: Jehova solvit vinctos:
- 8 Jehova aperit *oculos* cæcorum; Jehova erigit incurvatos, Jehova amat justos:
- 9 Jehova servat peregrinos, pupillum et viduam statuminat; viam vero improborum subvertit.
- 10 Regnabit Jehova in seculum: Deus tuus, o Zion, in unamquamque generationem.
- HALLELU-JAH!

CXLVII.

- 1 LAUDATE Jah, quia bonum *est* psallere Deo nostro: quia amœnum *est*, decens *est* laudatio:
- 2 Ædificator Hierosolymæ Jehova, depulsos Israelitas congregat:
- 3 Qui sanat fractos animo, ac *velut* obligat in doloribus eorum:
- 4 Supputans numerum stellarum, quotquot sunt nominibus vocans.
- 5 Magnus *est* Dominus noster, et multus viribus; cujus intelligentia est innumerabilis.
- 6 Statuminat mansuetos Jehova, deprimit improbos in terram usque.
- 7 Acclamate Jehovæ gratiarum actione, psallite Deo nostro cithara:

- 8 Qui obtegit cœlos densis nubibus, qui comparat terræ pluviam, qui facit ut proferant montes fœnum:
9 Dat jumentis cibum suum, pullis corvorum, qui crocitant.
10 Non potentia equi delectatur, non crura præstantis viri accipit;
11 *Sed* acceptos habet Jehova timentes sui, qui expectationem *suam* habent in benignitate ipsius.
12 Laudibus commendate, Hierosolyma, Jehovam: lauda Deum tuum, o Zion.
13 Nam confirmat vectes portarum tuarum, benedicit filiis tuis in medio tui:
14 Disponens termino tuo pacem, adipe tritici satiat te:
15 Quo emittente sermonem suum in terram, quam celerrime excurrit verbum ejus:
16 Qui edit nivem sicut lanam, pruina quasi cinerem dispergit:
17 Dejecit gelu suum, tanquam frusta; coram frigore ejus quis consistat?
18 Emittens verbum suum, liquefacit ista: simulac efflat ventum suum, effluunt aquæ.
19 Indicat verba sua Jacobo, statuta sua et jura sua Israeli.
20 Non fecit ita ulli genti; ideoque jura ista non noverunt.

HALLELU-JAH!

CXLVIII.

1 HALLELU-JAH!

Laudate Jehovam, cœlites; laudate eum in excelsis.

2 Laudate eum, omnes angeli ejus; laudate eum, omnes exercitus ejus.

- 3 Laudate eum, sol et luna; laudate eum, omnes stellæ lucidæ.
- 4 Laudate eum, cœli cœlorum; et aquæ, quæ supra hoc cœlum *sunt*.
- 5 Laudent nomen Jehovæ, quæ ipso præcipiente illico creata sunt:
- 6 Quæ stabilivit in sempiternum, in seculum: *quibus* decretum dedit, quod nullum transgrediatur.
- 7 Laudate Jehovam, terrestria; cete et omnes abyssi:
- 8 Ignis et grando, nix et exhalatio: ventus turbineus efficiens verbum ejus:
- 9 Ipsi montes et omnes colles, arbores fructiferæ omnesque cedri:
- 10 Ipsæ bestię et omnia jumenta: reptilia et aves alatæ:
- 11 Reges terræ omnesque nationes, principes et omnes judices terræ:
- 12 Juvenes etiamque virgines, senes cum pueris:
- 13 Laudent nomen Jehovæ: quia editum *est* nomen ejus solius, decor ejus supra terram et cœlum:
- 14 Et effert cornu populi sui, laudem omnium quos benigne accipit Israelitarum, populi propinqui sibi.

HALLELU-JAH!

CXLIX.

1 HALLELU-JAH!

Cantate Jehovæ canticum novum; laudem ejus in congregatione eorum, quos benigne accipit.

2 Lætetur Israel in eo, qui fecit ipsum; filii Zionis exsultent in rege suo.

3 Laudent nomen ejus tibia, tympano et cithara psallant ei:


- 4 Quia benevolus *est* Jehova erga populum suum.
ornat mansuetos salute.
- 5 Gestiant benigne accepti prae gloria, cantent
in cubilibus suis:
- 6 Laudationes, exaltantes *Deum* fortem, in gutture
suo; et gladium bipennem in manu sua *haben-*
tes.
- 7 Ad exercendum vindictam in gentes, increpationes
in nationibus:
- 8 Ad vincendum reges eorum catenis, et hono-
ratos eorum compedibus ferreis:
- 9 Ad exercendum in eos jus scriptum: *quod* decus
est omnibus iis, quos benigne accipit.

HALLELU-JAH!

CL.

1 HALLELU-JAH!

- Laudate *Deum* fortem de sanctitate eius, lau-
date eum de expanso laudato ejus.
- 2 Laudate eum de omnimoda potentia ejus, lau-
date eum secundum amplitudinem maximam ejus.
- 3 Laudate eum clangore buccinae, laudate eum
nablio et cithara.
- 4 Laudate eum tympano et tibia, laudate eum hy-
draulis et organo.
- 5 Laudate eum cymbalis sonoris, laudate eum
sistris.
- 6 Tota ipsa anima laudet Jah.
HALLELU-JAH!







11



